JOSEPH CARPANI
SOC. JESU
TRAGŒDIÆ.

JOSEPH CARPANI

SOC. JESU


INTER ARCADES

TYRRHI CREOPOLITÆ

TRAGŒDIÆ

EDITIO QUARTA

AUCTIOR, ET ACCURATIOR.



EXCUDEBAT ROMÆ

JOANNES GENEROSUS SALOMONI

IN FORO S. IGNATII

ANNO JUBILÆI MDCCL.

SUPERIORUM PERMISSU.

D. MICHAELI
AB ANNUNTIATIONE

Canonico Regulari Divi Augustini Reformatæ Congregationis S. Crucis Episcopo Conimbricensi Comiti De Arganil Domino Cojæ ac Regiæ Majestatis a Consiliis &c.

JOSEPH CARPANI SOC. JESU

S. P. D.



UM diu, multumque mecum ipse reputarem, cuinam quartam hanc, quam adornabam mearum tragœdiarum editionem inscriberem, forte in memoriam rediit, me anno MDCCXXI nomine Emi, & Rmi Nunnii a Cunha Patrui tui, S. R. E. Cardinalis amplissimi edidisse tragœdiam, cui titulus *Althemenes*, quæ in aula maxima Collegii Romani, coram Principibus Viris ex omni Ordine, eruditisque Spectatoribus pluries acta fuit: Ab hac vero recordatione statim, ut fit, nova hæc cogitatio ortum habuit:

Quid eſt, cur verear nomine Viri præſtantiſſimi ex eadem celebri Familia novam hanc editionem nuncupare? Nonne hac via ad illius benevolentiam mihi aditum patefaciam? Hæc plura mecum peregi: ſtatim id quod cogitabam, quæ meæ partes erant, a me, deliberatum fuit, & conſtitutum. Nunc tuum eſt Digniſſime Præſul, tenuem hanc obſervantiæ in te meæ ſignificationem non repudiare. Obverſantur quidem menti Majores tui, & belli adminiſtratione, & politico Populorum regimine celeberrimi, quorum aliqui ſui nominis celebritatem rebus præclare geſtis ſibi partam, cui noſter hic, quem incolimus terrarum Orbis ſatis non erat, uſque ad ultimos Terræ tractus, ad memoriam temporum ſempiternam propagarunt: aliquos Roma ipſa fæcunda Heroum Parens admirata fuit. Obverſantur alia vetuſtiſſimæ Familiæ tuæ decora, quam tum civilis, tum militaris imperii gradus omnes, iique ampliſſimi, a prima illius origine ad hæc uſque tempora honeſtarunt. Hæc, & alia plura, quæ ſilentio prætereo mihi cauſam præbent non levem formidandi, ne mei tenuitas muneris, & quidquid in illo eſt operis, & obſequii, utpote dignitati, & meritis tuis longe impar, minus tibi gratum, acceptumque ſit: Quin imo eo progreditur hæc formido, ut animum penitus deſponderem; niſi me clementia tua, aliæque animi tui dotes egregiæ confirmarent. Novi ſiquidem (nemo eſt, qui ignoret) novi voluntariam, eamque heroicam tui ſubmiſſionem, qua de te humiliter, demiſſeque ſentis, & quanto es aliis ſuperior,

tanto

tanto magis Te cum inferioribus exæquare contendis: Mirabilem in voluptatibus omnibus respuendis Continentiam, qua in hoc excelso ecclesiasticæ dignitatis gradu eandem arctissimam vivendi rationem, quam olim Religiosæ Familiæ Canonicorum Regularium Congregationis S. Crucis cooptatus, laudabiliter suscepisti, majori cum laude fidelissime servas, & ne rude quidem, angustumque, quod tunc incolebas, cubiculum deseruisti, omnia demum, quæ jucunda sunt, non modo cupiditatibus; sed etiam naturæ ac necessitati denegas: Benignitatem in egenos, quibus assidue, & effuse subvenis; quamobrem parvo victu, & facile parabili corporis cultu contentus non solum pauper ipse es, ut aliorum inopiæ opituleris, verum etiam longe magis, quam alii fruantur divitiis, rerum parcitate; & pene dixerim penuria delectari videaris: Beneficentiam in omnes, nullis limitibus circumscriptam, æqui rectique Amorem, sollertem in rebus agendis Prudentiam, vigilem Curam, & indefessam Sedulitatem in æternæ aliorum saluti prospiciendo, quod adeo tibi cordi est, ut quidquid agis, huc spectet, ac tuorum commodorum pene oblitus, nihil ex iis, quæ ad hunc finem conferre possunt ne brevi quidem tempore prætermittas, incredibilem divini honoris tuendi, promovendique Cupiditatem, qua flagrans templa vel e fundamentis excitas, vel vetustate collabentia restauras, sacrarum Virginum, & cujuscunque Religiosæ Familiæ Asceteria tuis impensis amplificas, & exornas. Demum, ut omnia paucis complectar, novi

quod omnes concelebrant, Te ſcilicet eſſe virtutibus omnibus plene inſtructum, & cumulatum. Quæ cum ita ſe habeant, hæ animi tui, Dotes egregiæ, quæ tuos mores mira ſuavitate temperant, in certiſſimam ſpem me adducunt, qua confido, fore ut munuſculum hoc exiguum quidem, ſed a ſincero, obſequentique animo profectum non dedigneris. Illud etiam accedit quod aliorum utilitas, quam ſemper præ oculis habes, illi fortaſſe pretium aliquod adjunget: valde enim proficuum Adoleſcentibus, qui in tuo Seminario pietate, & litteris informantur, futurum eſſe exiſtimo, ſi tragœdias haſce, quarum argumenta ſunt ex Sacris Litteris petita, præ manibus habeant: qua ratione fiet, ut latine colloqui vel inter ſe, vel cum exteris facile aſſueſcant, & ſententias ex divinis Oraculis decerptas, & ad mores componendos aptiſſimas, menti imbibant. Poſſent inſuper, quoniam illis magis amplum tuis reditibus inſtruxiſti ædificium, bacchanaliorum, vel autumnalium feriarum ſtatis temporibus illas agere: ſic enim tempus honeſtæ Studiorum remiſſioni præſtitutum, utiliter ſimul, & jucunde tranſigerent. Verum tuæ Prudentiæ erit, hac in re, quod conſultius judicaveris, & loco, ac tempori accomodatius conſtituere. Id unum poſtremo hoc in loco rogo & obſecro, ut meum hunc libellum tuo nomine confidenter nimis me inſcripſiſſe, non meæ tribuas audaciæ; ſed Emi Patrui tui exemplo, & Humanitati tuæ plane ſingulari, utque ſaltem æquo animo feras hoc, qualecumque meæ, tibi addictiſſimæ voluntatis obſequium.

MI-

MIRÆUS ROPHEATICUS

ARCADIÆ UNIVERSÆ CUSTOS GENERALIS
ARCADIBUS PASTORIBUS HUMANISSIMIS.

S. D.



UM *ego Arcadi nostro Tyrrho Creopolitæ auctor fuerim, ut quartam suarum tragœdiarum editionem, eamque auctiorem, & accuratiorem aggrederetur; ideoque pauca, quæ partim Amanuentium, partim Excusorum incuria, in illas irrepserant menda, corrigeret, insuper ut aliam, cui titulus* Esther *nunquam antea editam, in hac nova editione adderet; mei muneris esse duxi vos de hac re certiores facere? Quanta illæ Eruditorum ex omni Ordine, non solum laude, verum etiam approbatione hic Romæ pluries actæ fuerint, neminem vestrum ignorare opinor. Neque vero illas minoris facturos esse existimo, qui cum Romæ publice agerentur, non interfuerunt, si artis tragicæ periti, ac partium studio minime præoccupati, illas attente legant; multoque magis si recogitent, quam difficile sit hoc poesis genus ita complectens quidquid præcipuum, arduumque Epos continet, ut tota actio tragica, cum suis episodiis, unius, plus minusve diei spatio claudi debeat, & circumscribi.*

Regulas, ut probe scitis, in tragœdiæ constructione servandas tradidit Aristoteles in sua Poetica, quas ita collegit, ut ex veteribus Poetarum græcorum tragœdiis, quod in iis optimum erat, & imitatione dignum seligens, tragœdiæ formam & ideam compegerit exactissimam: quamobrem illæ in pretio habendæ sunt, quæ ad ideam ab Aristotele propositam, & ad Græcorum Poetarum exemplaria, Sophoclis præsertim, & Euripidis proximius accedunt. Hujusmodi vero nostri Auctoris tragœdias esse, ex iis, qui in græcarum tragœdiarum lectione sit vel mediocriter versatus, in dubium revocaverit nemo. Sed quia nihil difficilius

est,

est, ut inquit Tullius (a), *& quotidiana comprobat experientia, quam aliquid invenire ex omni parte perfectum, & juxta Terentianum proloquium* (b) Quot homines, tot sententiæ: Suus cuique mos est: *Censores aliqui transalpini ita illas laudant ob Sacrarum* Litterarum *peritiam, ex quibus Auctor plura in illarum ornatum apte derivavit, ob sententiarum gravitatem, stili elegantiam, & scenas quamplures ad spectatorum animos percellendos, eorumque attentionem conciliandam aptissimas, ut non plene approbent in tragœdia, cui titulus* Evilmerodach *coacervari peripetias, & prodigia, cui animadversioni ut occurram, ac distribute loquar, a peripetiis exordiar.*

Primo itaque peripetiæ, dummodo non repente, ac fortuito, sed ex certis, conjunctisque inter se causis, utque verbis Philosophi utar, juxta veri similitudinem, & necessitatem accidant, reprehendi, eo quod plures sint, nulla ratione possunt, cum tragœdias jucundiores reddant, ac spectatores maxime oblectent, quod & ubique gentium, nostris hisce temporibus, & in Italia præsertim experientia constat: Nos enim Itali ægre ferimus Actores multiloquos, & verborum circuitus, quo vitio plures ex vetustioribus tragœdiis, tum italico, tum gallico sermone exaratæ laborant. Peripetias autem, quibus noster Auctor suam tragœdiam exornat, naturali quadam progressione, ex conjunctis inter se causis oriri adeo certum est, ut ex æquis rerum æstimatoribus, si illam legerint, neminem futurum esse opiner, qui id inficietur: qua in re tamen illud cavendum est, ne scilicet peripetiæ plures sint, quam patiatur præfinita temporis mensura: hanc autem servari in tragœdia, de qua est sermo, non minus quam in cœteris aliis, certo constat.

Deinde quoad prodigia, fateor equidem vitiosum esse, ac reprehensione dignum, inopinatè, & præter expectationem omnem, per machinam Deum aliquem e Cœlo in scenam prodigialiter adducere ad tragœdiæ nodum dissolvendum. Cæterum

(*a*) Cic. in Lel. (*b*) Ter. in Phorm. Act. I. Scen. 2.

rum satis certum, exploratumque est, prodigia adhiberi posse primo quando prodigium est fundamentum fabulæ, & hæc non aliter, vel saltem non ita commode, ac plausibiliter fundari potest, idque constat ab exemplis, quæ habemus apud Euripidem in tragœdia, cui titulus Troades *in* Alceste, *in* Hippolyto, *& apud Sophoclem in* Ajace. *Secundo adhiberi posse, ad nodum dissolvendum, quando fabula id manifeste postulat, nec aliter potest enodari, docet Horatius* (a) Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit. *Præterea, quando solutionis hujusmodi in ipsa tragœdia præjacta sunt semina, atque adeo solutio ex ipsa fabula proficiscitur. Harum solutionum exempla habemus in Euripidis* Iphigenia in Aulide, in Jone, in Medæa *tum Euripidis, tum Senecæ, & sæpe alibi. Jam vero quod Evilmerodach alius a se ipso appareat est fabulæ fundamentum, quo sublato fabula longe minus jucunda, ac plausibilis esset: quod vero in solutione fabulæ simulatam speciem, & effigiem exuat, suumque nativum rursus induat aspectum, & est potius prodigii desitio, quam novum prodigium, & fabula ipsa hunc exitum per se postulat, ut legentium in oculos statim incurrit: quamobrem non ægre ferunt Spectatores, quod Evilmerodach, qui alius a se ipso apparebat, demum qualis revera est appareat, quinimo id ipsum expectant, tanto magis, quod in ipsa tragœdia pluries insinuatur, Nadab, quo commentitio nomine Evilmerodach appellatur alium esse, quam qui apparet. Quid omnino simile habetur in Amphitruone Plauti, in qua tragicomædia Juppiter induit simulatam Amphitruonis speciem, & fabulæ fundamentum præbet: deinde se manifestans, Uxorem probri insimulatam Viro suo reconciliat, & fabulam solvit. Neque quidquam negotii facessit hæc Evilmerodach metamorphosis, Spectatorum oculis exhibenda, cum Spectatoribus eam expectantibus facile exhiberi possit, si vel idem Actor personatus, vel alius, quod longe melius existimo, eadem breviori veste more Persa-*

rum

(*a*) Hor. in ar. poet.

rum indutus, iisdemque insignibus ornatus in scenam prodeat. In idem ferme recidit, quod virgula censoria notant, nimirum a nostro Auctore induci Prophetas, qui supra naturæ vires operando fabulam enodant. At primo induci posse Prophetas, Augures, & Deos ipsos, si fabula ex Ethnicorum commentis petita sit, ad prædicenda futura, ad manifestanda, quæ in regionibus longe dissitis accidunt, & ad ea peragenda, quæ humanis viribus fieri nequeunt, docet Arist. in sua Poetica (a) *& approbant Plato, ac Tullius* (b). *Insuper illos posse divinitus operando fabulæ nodum dissolvere, dummodo enodatio ex ipsa fabula oriatur, constat ex doctrina de prodigiis nuper tradita. Neque hic omittendum censeo Danielem Prophetam solum generatim, & suboscure ipsi Evilmerodach indicare felicem rerum exitum: fabulam vero solvi per desitionem prodigiorum, & Nabuchi, ac filii sui Evilmerodach ad suum naturalem corporis statum regressionem.*

Pauca aliqua, quæ obiiciunt, refellere supervacaneum censeo, cum in iis obiiciendis, Censores nodum in scirpo quærere manifeste videantur, & nemo unus fuerit, qui objectiones illas sine admiratione vel legerit, vel audierit. Primo ergo inquiunt, potuisse tragœdiæ illius Auctorem multo melius, & consultius sequi communiorem illorum opinionem, qui censent Nabuchum non induisse superinductam membrorum conformationem diversam, sed id phantasiæ perturbatione illi visum fuisse, & hac imaginatione deceptum ab hominum convictu secretum, in silvis, & specubus instar brutorum animalium per septennium delituisse. At cum plures magni nominis Auctores doceant Nabucho belluinam membrorum conformationem fuisse superinductam, ut Justinus Martyr, Epiphanius, Dorotheus, Michael Medina (c), *& in ea.*

(*a*) Arist. poet. cap. 12.

(*b*) Pl. in Cratylo Cicer. lib. 1. de natur. Deor.

(*c*) Just. quæst. 44. ad Ortodox. Epiph. lib. de vit. & inter. Proph. in Dan. Doroth. in Synop. Med. lib. 2. de rect. in Deum fid. cap. 7.

in eandem sententiam inclinent Augustinus, & Gregorius (a), *quis unquam, nisi penitus desipiat, Poetæ vitio det cum his Auctoribus, aliisque pluribus sentire? Addunt præterea, celerius, quam par est, mortem Artabani resciri. Verum qui id opponit certo certius tragœdiam non legit, cum in illa, inter Artabani discessum, & mortis nuncium scena integra mediet, in qua Nabuchus, filio suo* Evilmerodach *suum infortunium fuse, lateque narrat, cujus rei testes appello quotquot tragœdiam legerint. Accedit quod Artabanus, postquam e conspectu Nabuchi se furibundus subtraxit, in suo ipso regio palatio, sibi pugione pectus transfigit, coram* Beradan *filio suo, illuc in eodem rerum articulo regrediente: quæ res, ut per se patet, diuturnam temporis moram non requirit.*

Obiiciunt insuper verosimile non esse, quod Artabanus, postquam gladio districto conatus est Nabuchi filium interficere, coram ipso Nabucho, qui opportune superveniens, dexteram, ictumque remoratur, liber discedat. Id tamen, quis non statim dignoscat, Nabucho adhuc trepido, & ancipiti, & paulo ante belluinis membris exuto esse maxime consentaneum? In *eo enim statu, erat illius maxime proprium rem tanti momenti primo impetu non decernere, præsertim coram Propheta* Daniele, *eoque non consulto: tanto magis quod Artabano non patebat egressus e regio palatio, in quod & milites, & populus universus confluxerant: quamobrem ei tempus suppetebat ad consulendum Danielem, remque maturius considerandam. Postremo in tragœdia, cui titulus* Sedecias *Censoribus nimis aspera videtur contentio, quæ habetur Nabuchum inter, & Sedeciam* Actu V. Scena IV. *Sed parum refert, quod ipsis videatur, dummodo secus sit, ac ipsis videtur. Neque enim aliter loqui debebat Nabuchus superbus, & victoriis elatus cum Rege captivo, & ærumnoso, ipsum audacter spernente; nec aliter, Sedecias propter miserrimam filiorum cædem,*

(*a*) August. epist. 187. ad Bonif. Greg. lib. 5. Moral. cap. 6.

dem, & oculorum effossionem, ira & odio efferatus, & qui nihil cupiebat magis, quam quod ipsi a Nabucho mors inferretur.

Quæ omnia dicta sint unice ad tuendam veritatem. Cæterum auctoritatem, & eruditionem Censorum tanti facio, ut ea potissimum de causa, justam, ac debitam nostri Auctoris defensionem susceperim, ne scilicet eam susciperent alii ex nostra Arcadum Academia, Viri cæteroquin in re tragica maxime versati; sed qui acri, & aculeato stilo scribere consueverunt. Ad quod impediendum illud etiam me impulit, quod cum Censores, plerumque habeant præ manibus tragœdias a Poetis gallis exaratas, excusationem aliquam merentur, si quidquid cum illis non consentit, minus approbent: Vetus enim, & omnium sermone tritum est adagium: Respiciens ad pauca facile pronuntiat. *Quo tamen in loco, silentio præterire non possum, eam a Censoribus adhibendam fuisse circumspectionem, qua noster Auctor uti solet, qui ita Poetas Græcos, quorum tragœdias præ manibus habet, sibi ad imitandum proposuit, ut tamen tragœdias a Poetis Gallis exaratas, quarum pleræque, ut temperate loquar, suas habent labeculas, non solum non improbet, verum etiam commendet. An autem noster Auctor, an Censores meliora elegerint exemplaria, judicium sit penes alios. Quod tamen extra controversiam est: Euripides, & Sophocles in re tragica primas habent, nec immerito* (a) *Aristoteles Euripidem in sua poetica imitandum proponit, utpote omnium Poetarum maxime tragicum. Et* (b) *Origenes ambos tradit Apollinis oraculo sapientes fuisse vocatos. Postremo hoc in loco Vos omnes præmoneo, ne de aliorum operibus temere, & inconsulte judicium feratis, & præsertim abstineatis a vitio satis communi, quo loquaculi Litteratores laborant, qui nihil laudant, ut inquit Cicero* (c), *nisi quod se imitari posse confidunt.*

Li-

(*a*) Arist. poetic. cap. 11.
(*b*) Or. con. Cels.
(*c*) Cic. lib. 2. Tuscul.

LIbrum, cui titulus Tyrrhi Creopolitæ Paſtoris Arcadis tragœdiæ nobis perlegendum, & examinandum traditum, paſtoritiis nominibus, communique ſigno edendum, ac pervulgandum cenſemus.

Niceta Phalantius P. A. Cenſor.
Micander Jaſeus P. A. Cenſor.
Areta Epidaurenſis P. A. Cenſor.

Quando ita viſum eſt Cenſoribus, qui librum ſupra enunciatum perlegerunt, perlectumque probarunt, paſtoritiis nominibus illum edere communique ſigno imprimere jus eſto.

Ab Arcadia inſtaurata Olimpiade XV. Anno 4. die læta.

Miræus Ropheaticus Arcadiæ Cuſtos generalis.

Loco ✱ Sigilli Cuſt.

Narindus Tritonides Sub-Cuſtos.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſ.

IMPRIMATUR

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

TRA-

TRAGŒDIÆ.

SEDECIAS
TRAGOEDIA I.

ARGUMENTUM.

NAbuchodonosor ad solium Hierosolymæ Sedeciam promoverat, eumque Regem constituerat: quamobrem vehementer indignatus icti fœderis violationem, & societatem cum Ægyptiis sibi infensis a Sedecia initam, formidabili exercitu, cui Nabuzardan imperabat, Hierosolymam biennio obsedit: eoque expleto, cum ad arctissimam obsidionem dira fames ac teterrima pestis accessissent, tandem expugnavit. In perdito hoc rerum statu Sedecias, ut sibi, suisque filiis consuleret; occulto itinere ab Urbe iam magna ex parte succensa, noctu una cum filiis discessit. Sed vix Nabuzardan Sedeciam, filiosque dilapsos sensit; fugam illorum celeriter insecutus, feliciter intercepit, eosque catenis onustos ad Regem suum Nabuchodonosor adduxit. Barbarus Rex tristissimo spectaculo filios patre coram trucidari, mox patri oculos effodi, & inde Babylonem deportari iussit. Ex lib.4. Reg. cap.25. & lib.2. Paralipom. cap.36. & ex Joseph lib.10. Antiquit. Judaic. cap.10. & 11.

Per poeticam licentiam historiæ addimus primo, Sedeciam, ad fugam magis occultandam, cum Elisama regiæ prolis Educatore vestes commutasse: filios etiam ipsos vulgaribus usos indumentis Sedeciæ, & Elisamæ comites se addidisse. Secundo, Elisamam regio cultu ornatum cum altero ex Sedeciæ filiis Ægyptum versus, Sedeciam cum altero in loca nemoribus consita, & salebris inaccessa perrexisse. Tertio demum, omnes ab hostium manipulis huc, illuc concursantibus fuisse captos. Quæ fabulosa additamenta variis agnitionibus, & peripetiis ad Tragœdiæ ornatum opportunis viam sternunt.

PERSONÆ.

NABUCHUS. *Rex Babylonis.*

SEDECIAS. *Rex Judeæ.*

HAZAEL.
BENASAR. } *Filii Sedeciæ.*

NABUZARDAN. *Militum Aſſyriorum ductor.*

ELISAMA. *Filiorum Sedeciæ Educator.*

Scena in Silva Hieroſolymam inter,
& Aſſyriorum Caſtra.

ACTUS I.

SCENA I.

Sedecias, Elisama.

Pœnitet Sedeciam fugæ, & mutationis vestium ad fugam occultandam. Eum Elisamæ hortationes, & filiorum amor ad fugæ continuationem impellunt.

Sed. 
CULOS reflecte: respice ut Solymam vorax
Populatur ignis. Quantus heu late insonat
Ab hoste clamor! O Sion magni domus
Olim Tonantis, cura tot Regum, & labor
In te cruentus, pertinax odii furit,
Raptatque Medus victor ardentes opes:
Non fletus iras cohibet, aut avidas manus
Vulcanus arcet: id ego securus feram
Exsors pericli? Non ita: emensum libet
Relegere callem, ut eluam indecorem fugam,
Versaque in Urbe tumuler: hæc nostros decet,
Hæc urna cineres. *Elis.* Quo te agit præceps furor?
Sed. In arma, & hostes. Regium ornatum illico
Mihi redde: jubeo. Vilis hæc nostrum haud tegit
Chlamys pudorem. Mortuos inter duces,
Quos dira cædes mersit, inveniat meum
Hostis cadaver, meque præreptum suo
Doleat triumpho. *Elis.* Præripi incolumis potes,
Quin & futurus ultor. Excipiet sinu
Te Pharao amico: rebus afflictis opem
Rex socius, ut spero, afferet. *Sed.* Pactam fidem
Servare Reges non solent; nisi publicum
Bonum id reposcat. Egomet indignum putans
Parere Medis inclytum Isacidum Genus,
Subdere & inertes colla peregrino jugo
Renui tributa solvere, abrumpens sacras
Juratum ad aras fœdus. Hæc nostri fuit
Exitii origo *Elis.* Rex pharius, esto neget
Viros, & arma, tuta fugitivo dabit
Hospitia saltem. *Sed.* Nempe quæ nostris dedit

Ægyptus atavis. Niliaca mores alit
Tellus dolosos. Vincla nos illic manent,
Quin mors pudenda: nec levis causa est metus:
Nam Pharao nostro territus casu, ac sibi,
Late imperantis hostis incursus timens,
Bella minitanti, pacis in pretium dabit
Caput hoc resectum. *Elis.* Non Scytha immane hoc nefas
Patret, nivalis Caucasi aut ferus incola.
Gens nulla sit rudis licet, nostro & procul,
Quem colimus Orbe, jura contemnit, Parens
Quæ summus animis omnium insculpsit Deus.
Sed. Corrupta vitiis ratio nos æquat feris.
Infensa Medus signa cum primùm intulit,
Cœpere retro vertere astutum gradus
Phariæ cohortes. Hæc fuga haud caruit dolo:
Se nostræ egenos quippe simulantes opis
Voluere tuta ab arce pugnaces viros,
Diraque pressos tabe, numeroque impares
Trahere in aperti Martis ancipitem aleam.
Egone dolosa in gente spem ponam miser?
Elis. Fingit pericla ubique plus æquo timens.
Quod captus olim cecinit Ezechiel velim (*a*)
Memineris, a te celsa Babylonis fore
Moenia videnda nunquam. *Sed.* At æque præscius (*b*)
Vates futuri me fore occinuit brevi
Capiendum ab hoste. Futili quid spe tenes
Mori paratum? sola mihi tumuli quies
Speranda superest. *Elis.* Sæva quoscunque invehit
Fortuna casus, impavida virtus ferat.
Vertit ab arena miles imbellis gradum,
Cum gravior instat pugna. Sed si non movet
Te cura propriæ laudis, eversæ salus
Te moveat Urbis, quæ jacens per te potest
Erigere frontem rursus. Ipsas vel rudes,
Ferasque gentes dulcis in patrium solum
Flectit amor. *Sed.* Et me flectit: Hinc fato illius
Superesse nequeo. *Elis.* Cladibus regni tua
Si fata jungas; Patriam quisnam eriget?
Quis templo honorem reddet, & avitæ decus
Regale stirpi? an filii comites fugæ,
Tuæque sortis? nemo sed rerum inscias,
Tenerasque mentes imbuet: nemo gradus
Adhuc labantes fulciet. Patrem indue:

En

(a) *Ezech. c.*12. 13.
(b) *Jerem. c.*37. 17.

En cara Soboles astat. (a) Afflavit genis
Quantum decoris hic fugæ insuetus labor!
Sub vili amictu quanta majestas latet
Vel sic verenda! Occurre in amplexum, oscula
Alterna natis divide, & post, si id tuus
Sinat amor; ambos desere: in cladem trahe
Tecum vel ambos... Cur solo fixos tenes
Immotus oculos?

SCENA II.

Sedecias, Hazael, Benasar, Elisama.

Sedecias amplectitur filios, & post brevem collocutionem, cum eorum altero se recipit in semotam, implicitamque silvam; cum altero vero Elisama regiis insignibus ornatus in Ægyptum pergit.

Sed. VIncor. In summis malis
Superest quod unum, perdidi hoc etiam bonum:
Nihil timere. Jam redi in patrium sinum,
O magna quondam spes domus, regni Hazael
Hæres paterni... Cujus at regni? heu dolor!
Tuque minor ævo Benasar, amplexus cape.
Liceret utinam sospites ambos meo
Sanguine tueri! Iacula me contra Tonans
Impelle; utrique parce sed soboli, meret
Innocua morum siquid integritas. *Haz.* Parens
Quid frustra inani conficis questu diem?
Fors Medus instat: commodas illi moras
Abrumpe citius. *Ben.* Nostrum erit patrium latus
Vel tegere, vel tecum mori. *Sed.* At quamnam viam
Anceps capessam? *Elis.* Ante ora se pandit duplex.
Est hinc in Ægyptum iter: at illinc in latens,
Varioque circum tramite implexum nemus,
Ubi celer equitum turma properanter nequit
Glomerare gressus: tutus ibi poteris brevi
Latere, dubiam donec isiacæ fidem
Experiar aulæ regio cultu nitens,
Regemque simulans. *Sed.* Nemo de facie hactenus
Me novit illic. Arduum at nimis est dolos
Novisse Regum. *Elis.* Reteget, imperii præest
Qui rebus, inhians opibus: hunc certe annulus
Pretium omne superans coget arcanum mihi

 In-

(a) *Innuit filios venientes.*

Innuere ſaltem : idque ſatis experto eſt viro ,
Rem noſcat ut totam . Hazael tibi ſit comes ,
Mihique Benaſar : dividi alterum ab altero
Opus eſſe duco ; ærumna ne ſiqua ingruat ,
Premat una utrumque . Quod caput rerum eſt tegens
Se quiſque veſtrum , regiæ ſortis decus
Nulli revelet . Sedeciæ ego partes agam ;
Ut Pharao tacitos mente ſi volvit dolos ,
Conſumat in me : Medus aut curſu celer
Si me aſſequatur , compotem ſeſe putet
Voti , nec ultra quærat . Aſpexit tuum
Nunquam ille vultum : quippe pertæſus moræ
Nabuchus Urbem adverſus immiſit novum
Agmen , Ducemque . Sed moræ ſatis eſt , fugam
Properemus ambo *Sed.* Trahere degeneres dies
Ab amore prolis cogor : hic patrem jubet
Metuere rurſus . Hazael clauſam hanc viam
Mecum capeſſe : tuque rorantes genas
Abſterge Benaſar . *Ben.* Oſcula ut dextræ imprimam
Permitte Genitor : cordis obſequia accipe
Forſan ſuprema . Pectus impulſum metu ,
Tibique metuens, grande præſentit malum .
Sed. Male ominari deſine , & patrem novis
Confodere telis . Sequere Fortunam ducem .
Nunquam futurum reputo te miſerum magis ,
Quam prope paternum latus *Haz.* Ubique ſis memor (*a*)
Fraterni amoris Benaſar . *Ben.* Invitus tuis
Divellor ulnis : ſic jubet fati rigor .
Sed. O fide cuſtos , regium hoc pignus tuæ
Committo fidei *Eliſ.* Ne time , quantum in me erit,
Salvum reducam *Sed.* Aſpiret his votis Deus .
Quo me trahit amor , moveo trepidantes gradus .



ACTUS

(a) *Se mutuo amplectuntur .*

ACTUS II.

SCENA I.

Nabuzardan.

Jactabundus sibi gratulatur captum fuisse Sedeciam, ut ipse falso putat externo corporis cultu deceptus, cum revera, qui ad ipsum a militibus adducitur, sit Elisama regiis insignibus ornatus.

NON sic minaci dente cum frendens aper
Se se in latentes induit casses, nemus
Clamore læto complet, & sua vix capit
Venator amens gaudia, ut nostrum obruit
Lætitia pectus. Captus est Rex. O diem
Albo notandum calculo! o facinus novo
Dignum triumpho! Solyma nunc demum jacet:
Spes nulla superest, tollat ut rursum minax
Ad astra turres. Prorsus excisum genus
Regum peribit: lateat ubi soboles, brevi
Genitor coactus aut metu, aut vana spei
Illectus umbra reteget. Eversum Ilium
Quid tumida jactat Græcia, in cladem illius
Impendit annos quæ decem, ac turpes dolos?
Intrepida virtus, fraudis ignara hanc mihi
Breviore cursu temporis palmam tulit.
Me duce per altas mœnium pinnas cohors
Clypeis, & hastis sibi viam stravit, ruens
Illinc in hostes, unde metuendum nihil
Hostes putabant. Nostra vel cœlum sequi
Potuit videri signa, conficiens lue,
Quibus pepercit gladius. At captus subit
Rex perduellis.

SCENA II.

Nabuzardan, Elisama, Beradan.

Elisama, ut mors sibi cito inferatur poscit, ne Rex Nabuchus, qui de facie cognoscebat Sedeciam, & erat brevi in castra rediturus simulationem detegat. Nabuzardan, ut de Sedeciæ filiis certior fiat, frustra contendit.

Elis. JUra qui populis dedi,
Qui vota supplicum audii gemmis nitens,
Solioque fultus; nunc egens, pressus malis,

Supplexque posco, ne meam serus velis
Differre mortem. Quas rogo, vestra interest
Celerare pœnas. Consules nunquam tuo
Satis ipse Regi, illius & nunquam recens
Diadema fronti hærebit immotum satis,
Hac luce donec utar. Ut repetam mea
Mihi rapta sceptra, moliar quidquid furens
Proponet animus: facinus aggrediar, sibi
Quod victor ægre caveat: audebo omnia.
Miseros supremum reddit audaces malum:
Nil ferre gravius qui potest, metuit nihil.
Nabuz. Cum laude poteras Urbe in eversa mori:
Clades tot inter poterat expleri necis
Sera hæc cupido. At tibi per occultas specus,
Cæcasque latebras placuit hostiles fuga
Vitare gladios. Versa nunc mens cur amat,
Quod nuper odit? *Elis.* Morte deterius jugum
Servile metuo. *Nabuz.* Id metuis? Ipse aderit cito
Rex: tuque nosces, ut jugo leni premat
Hostes subactos, parcere ut victis sciat.
Metuere fluxæ sortis alternas vices
Vincendo didicit: quique se quondam extulit
Magnis superbus opibus, & palmis tumens,
Servare cœpit rebus in lætis modum:
Utque loquar, omnem quod fidem excedit, solo
Æquata jacuit vix Sion; veterem statim
Deposuit iram: quodque mirandum est magis,
Inquirit ubinam gemina tua Proles metu
Perculsa lateat. Reddere alterutri cupit
Regale sertum, e fronte sublatum tua,
Munifice & agere rursus imitator sui,
Quod egit olim, cum tuo infido abstulit
Sceptrum Nepoti, ac tibi dedit (*a*) *Elis.* Procul hinc ubi
Nati morentur nescio: Hoc in perdito
Rerum statu, aut circumvagus Patriæ rogus
Oppressit ambos, vulnere aut stratos tegit
Cadaverum aggesta undique immanis strues.
Nabuz. Non id lateret tandiu. *Elis.* Abjectum sagum
Oculos fefellit forsitan; vel qui intulit
Mortem cruentus hostis, id tacuit sciens
Propensum in illos Regem. At hæc frustra loquor:
Nanque revocato exercitu primo, ac Duce,
Vos ruere in Urbem jussit indignans moras
Nabuchus, illam premeret intus cum fames,

Lues-

(a) *Lib.4. Reg. c.24. 18.*

Luesque dira, & nullus efferret pedem
Regali ab aula. *Nabuz.* Pande, quod nequit diu
Latere, quodque e pectore extundet timor.
Elis. Quid mihi timendum? audacius, quam te decet,
Cum Rege loqueris. *Nabuz.* Sed loqui sic me jubet
Regnator alius, cujus imperium pati
Didicere Reges. *Elis.* Nostra qui victus tamen
Imperia ferret, si diu virtus, sui
Fortunam haberet comitem. *Nabuz.* Itane carpis meas,
Regisque laudes. *Elis.* Magna laus equidem fuit
Diruere Solymam, quam prius cœlum nocens,
Famesque dira presserant. *Nabuz.* Quod sub mea
Vexilla Superos compuli, id parvi facis?
Quæ bella mecum gerere non puduit Deos,
Carere laude dictitas? Sed nec Diis,
Nisi forte inermis fuerit hæc dextra indiget,
Mea mihi virtus Numen est, aliis satis
Perspecta, nimiumque Solymæ ... Vanis diem
Protrahere verbis non vacat. Paucis loquar:
Vel retege natos, Rex quibus sceptrum parat:
Vel ad ferendum compara te ipsum mala,
Inferre quotquot Victor iratus potest.
Spretus amor iram rursus accendet: cave.
Elis. Superest timendum cui nihil, frustra cavet.

SCENA III.

Nabuzardan, Benasar.

Frustra satagit Nabuzardan, ut quam optat notitiam ab ore Benasar exsculpat.

Nabuz. Subsiste (a) Quonam spectat hic tui furor,
Fastusque Regis? Studeo dum lapso manum
Porrigere; amaris me incitat dictis. Statim
Pœnas dedisset: nisi quod ærumnis agi
Puto in furorem. Mente deturbat dolor
Homines; nec illum si modum excedat, potest
Subigere ratio: parco; quin etiam volo
Relevare lapsum; dummodo auxilium velis
Afferre mecum. *Ben.* Promptum habes, si me vides
Conferre quicquam posse ad hanc rem, quam paras.
Nabuz. Quod jubeo, paucis accipe: id quod Rex silet,
Tu loquere: Regi sic erit cautum satis.

(a) *Recedentem detinet.*

Ben. Huc ſermo recidit : poſcis ut frangam fidem ;
Perdis ſed operam : non is ego ſum , qui tuam
Hoc pretio inire gratiam infidus velim .
An pueri obierint : hinc procul celeri fuga
An ſe eripuerint , neſcio , & ſcirem licet ,
Nunquam retegerem . *Nabuz.* Decipi nimium timens ,
Timore ab ipſo ſæpe decipitur ſuo .
Rem noſco : metuis , ſcire ne cupiam , puer
Ubi ſit uterque , ſævus ut mortem inferam
Utrique , & omne regiæ evellam domus
Germen ; ſed erras . Vicimus poſtquam palam ,
Cæloque teſte : noſtra ſe poſtquam tulit
Ad aſtra virtus , nunc dolos verſem , nihil
Quando eſt timendum ab hoſte , qui victus jacet ,
Trahitque moerens vincla ? Sed Pharao , inquies ,
Jacere victos non ſinet . Belli exitus
Pendebat anceps , cum fugax vertit retro
Niliaca ſigna : hic afferet miſeris opem ?
Res hic jacentes eriget ? Nullas habet
Spes Solyma , ſi tales habet . *Ben.* Fraudes timet
Rex ipſe : ſervi munus eſt Regem ſequi .
Nabuz. Danda eſt at illi venia : plus æquo ſolet
Parens timere . Metueret utinam minus !
Sed eſto timeat ille : nunc promptas tuum eſt
Natis , Patrique ferre ſuppetias : tuum
Efficere , veniæ ne viam occludant : ſalus
Peribit omnis ; ni feras . *Ben.* Quid me irritis
Verbis fatigas ? perſequi ſtultum eſt , queas
Quod arte nulla conſequi . *Nabuz.* Mihi vix furens ,
Mediaque in ira tempero , inſanum caput
Quin enſe cædam . Loquere , vel pœnas lues
Diras , cruentas , igne , verberibus lacer .
Ben. Intrepidus omne perferam lethi genus .
Nabuz. Magnifica dicta reprimet immanis dolor .
Ben. Diuturnus eſſe , ſi ſit immanis , nequit .
Brevitas levamen afferet . *Nabuz.* . . Tuus hic necis (a)
Contemptor animus , quod meam exſuperat fidem ,
Quodque ipſe miror , flectit , id nollem licet ,
Iramque cordis vertit in amorem . Ergo age
Conſilia , per me adhuc potes , caute refer
In melius : omnis ſalva res eſt , ſi mea
Prompte faceſſas juſſa . Polliceor ſupra
Spem dona : Regi carus in primis eris . . . .
Ben. Quid plura loqueris ? Ipſa ſe prodit ſatis

Ars ,

(a) *Denuo blandis verbis conſtantiam illius aggreditur .*

Ars, quæ pudendos tegere conatur dolos:
Larvam hanc inanem pone: cur odium tegis
Pietatis umbra? Desine: ingenium tuum,
Moremque sequere. *Nabuz.* Inultus hæc probra au-
Exsolve pœnas. (*a*) (diam

SCENA IV.

Sedecias, Hazael, Benasar, Nabuzardan.

Sedecias ignotus manum librantis ictum cohibet, & se vadem pro Benasar filio suo exhibet.

Sed. Siste *Nabuz.* Sic temere meam
Cohibere demens vindicem dextram haud times?
Sed. Siquod luendum crimen est; caput hoc luat.
Nabuz. Eloquere demens: quisnam es? *Sed.* Abjecta hæc
Rudisque cultus, ense viduatum latus, (chlamys,
Hæc ipsa, qua cingor cohors, qui sim, docent.
Hostis ego captus: comes hic & belli, & fugæ. (*b*)
At ille, vitam cujus ut tuear, meam
Offero, puellus figeret cum vix gradus,
A me perempti in filii adscitus locum
Fuit olim, eumque ut genitor institui. Indolis
Belligeræ in illo specimen ut vidi (Puer
Nanque inter hastas, tympana, & clypeos, dies
Lætus trahebat) arte bellandi imbui
Mentem tenellam. Me duce incepit brevi
Torquere in hostes tela puerili manu.
Adultus in spem Patriæ mecum ferens
Pericla belli, cœpit o quoties brevem
Acclinis hastæ somnum: in adversas celer
Quoties phalanges se tulit medium, viam,
Reditumque pandes ense! *Nabuz.* Quorsum hæc! par erat
Potius doceri, spreta quid in illum aggredi
Victoris ira possit: hanc fidens sibi
Probris lacessit; sed brevi ponet tumor
Audacis animi, discet & frænum pati.
Sed. Quid movit iras? *Nabuz.* Renuit alieno malo,
Suoque, geminam Sedeciæ prolem mihi
Retegere, Cui Rex tradere amissum cupit
A Patre regnum, in filios nolens scelus
Conferre patrium. *Sed.* Forsan ignorat.. *Nabuz.* Leves
Afferre causas desine, & quoniam rei

(a) *Gladium distringit.* (b) *Innuit Hazaelem.*

Suscipere partes libuit ; has posthac age .
Nimium quod audax funeri exponis caput ,
Nullus Deorum redimet , in lucem tua
Nisi lingua tacitum prodat arcanum . At prius
Patieris uncos , verbera , admotas faces ,
Et si quid ultra sævius . *Sed.* Furor exerat
Artes nocendi vel Stygi ignotas ; feram,
Dummodo ferenti nullus accedat comes :
Utque omnis in me posita culpa est , sic sequax
Me pœna solum puniat . *Nabuz.* Tibi do fidem :
Res erit , ut optas . *Sed.* Da insuper , ut hunc alloqui (*a*)
Possim remotis arbitris . *Nabuz.* Per me licet :
Recede miles [aliqua spes animum subit ;
Sed nulla pietas .] (*b*)

SCENA V.

Sedecias , Hazael , Benasar .

Sedecias filios alloquitur , seque illis ad mortem ferendam paratum exhibet . Filii a proposito consilio patrem removere frustra conantur . Demum consilium illius præverte-re decernunt .

Sed. CErtus hic rerum status ,
Hæc summa: spernens si minas taceam, imminet
Mihi dira cædes : si loquar ; vestrum caput
Objicio gladiis : nanque simulato tegit
Dux ore fraudes : nosco fallacem virum .
Fatalis urget sortis adversæ rigor
Vel vosmet ambos , vel patrem : utra mors sit mihi
Potius ferenda , nosse vos clare puto .
Haz. Quid ages . *Sed.* Silebo , moriar . Extremum id rogo,
Genitorque jubeo , funus intrepido ut meum
Spectetis oculo , lacryma nec vestras genas
Irroret ulla ; ne si ego , qui non diu
Latere possum , post necem agnoscar ; necis
Pretium omne pereat , sanguine & nostro satos
Vos esse pateat *Ben.* O ferox jussum ! O dolor !
Non hoc Tyrannus ipse inauditum nefas
Jubeat . *Haz.* Parato vulneri opponam sinum
Prior ipse . *Ben.* Care Genitor adjungi tibi
Permitte comites : quos præire fas erat
Genitoris umbram , liceat ah saltem sequi .

Ita-

(a) *Innuit Benasar .* (b) *Discedit .*

Sed. Itane ergo frustra cæsus occumbam? cadam
Victima & inanis? Hanc patri meritam vicem
Refertis ambo? *Ben.* Mene culpari ut reum
Cædis paternæ? pande natorum genus,
Te redime nostro sanguine: en ultro emicat,
Ardetque venis fluere. *Haz.* Nos satius mori est,
Quam trahere vitæ indecoris abjectos dies.
Sed. Exuite mentem hanc: pignus hoc vestri peto
Supremum amoris: vivat in vobis mei
Pars melior. *Ben.* Esse nos diu miseros jubes,
Vitam jubendo. *Sed.* Pereat infelix parens
Malorum origo, generis & labes sui.
Vos immerentes, quos pede hostili premit
Fortuna, rursus evehet subitos habens,
Facilesque reditus: profuit multis capi:
Repetite Avorum exempla. *Haz.* Quis nos, o Parens,
Teget inter hostes? *Sed.* Potior armatis viris
Pietas inermis . . . Vestra sed large rigat
Cur fletus ora? Excedo: mea virtus labat.
Datum est amori jam satis. Nostra interim
Servate memores jussa. (*a*) *Haz.* Ne servem, jubent
Amor, fidesque. *Ben.* Me tuum exemplum sequi
Par causa cogit. Annuat cœptis Deus.
Ben. Illum tueri dabitur, aut secum mori.

ACTUS III.

SCENA I.

Nabuzardan, Hazael, Benasar.

Filii Sedeciæ, ut Genitori suo vita periclitanti consulant, seipsos, suamque conditionem Nabuzardan detegunt. Colloquentes in scenam prodeunt.

Haz. O Uos opere quæris irrito, captos tenes.
Nabuz. Quæsita proles, quando, vel ubinam incidit
In vincla? cupidam distines cur spem? modum,
Seriemque rerum pande. *Haz.* Quam coram vides,
Est gemina soboles, germen infelix domus
Felicis olim. *Nabuz.* Quam video! sic vos capit
Ambitio demens, ut male instructis dolis,
Facile putetis posse me capi? Hactenus

Si-

(a) *Discedit.*

Silere quæ cauſa impulit ? quæ nunc loqui ?
Haz. Dicam quod eſt : impune dum potuit genus,
Noſtrumque nomen obtegi, at potuit brevi,
Celare utrumque libuit : id nunc ſed vetat
Aliena cædes imminens. *Ben.* Noſtra haud ſalus
Tanti eſt, paterna concidit poſtquam e manu
Regale ſceptrum. *Haz.* Corda nec patrii movet
Regni cupido. Sibi ferens legem, & ſuos
Virtute mores temperans regnat ſatis.
Ben. Nil regna proſunt, exprobrat cum mens ſibi
Regni pudenda exordia. *Nabuz.* Ut celet dolos,
Ambitio laudat modica, cum magna appetit.
Haz. Appetere magna quis niſi demens poteſt,
Cui vix refulget ulla ſpes vitæ. Anxia
Nos detegendi cura quo ſpectet, puto
Latere poſſe neminem : hæc mitto tamen.
Fraudi quis unquam fidat, Iſacidum ſtatim
Qnam turba primo retegat intuitu ? Tuo hæc
Tranſvecta juſſu nonne Babylonem petit
Aſtricta vinclis ? Teſtis hæc fraudem illico
Vulgabit ore. *Nabuz.* Poſſe, quæ demens cupit,
Se quiſque credit, remque metitur ſuis
Mens cupida votis. *Haz.* Arguas falſi mea
Si dicta, in artus lenta carnificum manus
Sæviat, & ipſa vulnera excruciet diu :
Quin pateat Euris, careat & buſto cinis.
Ben. Crede mihi, tacita mortis alienæ metus
Reſeravit ora. Tuque da veniam, rogo,
Illam merenti : munere incolumis tuo
Sit ille, pro me qui vadem ad mortem dedit
Se nuper. Anne dederis id vitio, quod is
Cum laude geſſit ? Nulla gens eſt tam rudis,
Cui decor honeſti non ſit in pretio. *Haz.* Tibi
Gratus ero, avitum non ſecus, quam ſi gradum
Utrique reddas. *Nabuz.* Ipſe, ſi veſtrum genus
Regale pateat, annuet votis brevi
Rediturus huc Rex : Spero quin etiam fore,
Ut vota ſuperet. Læta vos cernet Sion
Solio receptos, unde fœdifragus Parens
Fuit ante pulſus. Vana non hæc ſpes erit.
Aliena noſtros ſceleris expertes nequit
Inficere mores culpa : ſibi quiſque eſt reus.
Ben. Sperare nil audet miſer. *Nabuz.* [Spem omnem ma-
Succidet ultrix] Cupidus en celeres gradus (nus
Huc Genitor infert. Experiar an ſit fides
Adhibenda dictis. SCE-

SCENA II.

Nabuzardan, Hazael, Benasar, Elisama.

Suspicans quod reapse erat Elisama audacter ingreditur, rursus petit suæ mortis accelerationem. Comperiens autem Sedeciæ filios suam manifestasse conditionem, Sedeciæ adhuc ignoti personam gerit, ut illius consulat incolumitati.

Elis. ITane adhuc meritam necem
Differs roganti? Conscium ærumnæ diem,
Nostræque testem cernere indecoris fugæ
Quousque cogar? Nulla si mentem subit
Immanis, atrox, insolens pœna, & cui
Plaudat Tyrannus, egomet insuetas statim
Pœnas docebo. *Nabuz.* Ne feras ægre moras:
De sobole jam constat tua. (a) Hæc Regis sciet
Mollire pectus. Primus ætatis decor,
Suasque morum candor illecebras habet.
Quidquod secundus Martis haud semper favor
Aspirat uni, sed suas habet vices?
Rex cautus, esse se simul Regem, & patrem
Animo volutans nil aget, ab aliis sibi
Quod ipse timeat, si levem invertat rotam
Fortuna nunquam stabilis. *Elis.* E nostro genus
Duxisse jactant sanguine: quod ita sit tamen
Tota penes ipsos est fides: neutrum hactenus
Nosse tibi licuit: quin ego ignotus; retro
Sublapsa quippe res erat, jamque imminens
Solymæa clades; cum suis te Rex ducem
Præfecit armis. *Nabuz.* Mitte fallaces sonos:
Cur dubius hæres? Agedum in amplexus rue,
Teque esse junctis osculis patrem proba.
Elis. [Est nota soboles: sospitem donec licet,
Patrem tuebor] *Nabuz.* Mente quid tecum putas?
Ignosce natis, flectat atque iras amor.
Elis. Flectetur ante pulsa violentis Notis
Montana cautes: scopulus alterno maris
Flectetur ictu. Nunc palam ambos abdico
Timidos, inertes, generis opprobrium mei.
Quin potius ensem si jubes reddi, exigam
Ego ipse pœnas, prolis ut labem eluat

Pa-

(a) *Innuit Hazaelem, & Benasar.*

Paterna virtus. Præmium at noſtra foret
Cecidiſſe dextra: carnifex guttur loquax
Elidet. Hæc ſed levia: fors inſtat nefas
Immane, dirum, quodque retrogradum diem
Refugere in ortum cogat: infandas dapes,
Pateraſque timeo: niſi quod aliorum ſequi
Exempla renuens facinus audebit novum
Ultor ſuperbus, quale Tænario in ſpecu
Invideat Atreus. Tot mala ambobus fides
Violata pariet. *Haz.* Pauca mihi liceat loqui.
Eliſ. Audire renuo. *Ben.* Cuilibet jus eſt ſuam
Cauſam tuendi. *Eliſ.* Siccine audes cum patre
Certare verbis? *Haz.* Dulce quod tua vox ſonat
Nomen parentis plura, quam quæ fas erat,
Loqui coegit. *Eliſ.* Nec ſiles? celerem gradum
Ambo hinc reducant; juſſa nam ſpernunt mea.
Nabuz. Procul hinc abite. *Haz.* Liceat at nobis prius
Rogare id unum, flagret in nos ut furor,
Aliiſque parcat.

SCENA III.

Nabuzardan, Eliſama.

Eliſama preces interponit, ut a Nabuzardan filiorum Sedeciæ vitam impetret, utque ſuæ mortis accelerationem obtineat.

Eliſ. ARtibus tandem tuis
Juvenile pectus ceſſit. Illos ah prius
Oppetere mortem par erat! Cauſa hæc breves
Excivit iras. Nunc amor rurſum ſuas
Vires reſumens, conſulam ut natis monet.
Spes omnis in te uno ſita eſt. Non id peto,
Cecidere ut unde, ad priſtinum ſortis gradum
Redeant. Sua magis eſſe victores putant
Quæſita bello ſceptra, quam quæ caſu habent
Relicta ab Atavis: nec rogo, ut pœna vacent:
Ambos nocentes reddit, haud equidem nego,
Scelus paternum: crimen hoc miſeri luant:
Genus eſſe noſtrum. Supplicis Regis preces
Poſcunt id unum: ſanguine illorum ut manus
Scelerare parcas: ſerviant. Nunquid leve eſt
Obire famuli munera, & dominum pati
Ad ſceptra natos? Regibus quiſnam id neget?

Quod

Quod si cruoris in tuo corde æstuat
Effrænis ardor, plenius nostris sitim
Extingue venis. *Nabuz.* Desine & proli, & tibi
Metuere frustra. Sæpe nos pejor malis
Timor malorum cruciat, & propera manu,
Quæ procul ab arcu tela Fortunæ jacent,
Vibrat ipse contra. *Elis.* Inaniter verbis studes
Lenire vulnus. Siqua te pietas movet,
Si quam meretur innocua soboles; jube
Nostra hæc secari membra laniatu effero:
Patris cadaver vulnere effosum undique,
Lacerumque, penitus cui sit antiquæ nihil
Formæ relictum, ut offeras Regi velim
Vix huc regresso: cæde nam dira fruens
Torpescet ira, prolis oblita. Haud secus
Pecoris opimi raptor, ingluviem grege
Meliore postquam pavit, expulsa fame
Sævire cessat, dente jam lasso piger

SCENA IV.

Sedecias, Nabuzardan, Elisama.

Sedecias compertum habens innotuisse suos filios, seipsum detegit recusans illis superesse, quorum causa fugam arripuerat. Elisama verba illius intercipit, illiusque conatus omnes ad se detegendum artificiose eludit.

Elis. (a) [Nunc artis egeo: Cælites vestram fidem:]
Sed. Geminam parasti victimam: at major deest:
Hanc sponte retego. *Elis.* Sic palam ostentas scelus?
Me coram, inique tu mihi insidias struis?
Ingratus, effrons.. Hæccine in Regem est fides?
Hæc mihi rependis vile, despectum caput?
Sed actum agis: jam noscor, & lucri nihil
Tibi crimen afferet tuum... Macte improbe: (b)
Loquere, quid hæres? Sero te cœpti pudet
Sceleris. *Sed.* Inanes linque jam fraudes. Tuis
Male auspicatis artibus nimium dedi:
Depone nomen Regis, & larvam exue.
Elis. Hostis nec ipse nominis vanum decus
Invidet, & hasce sortis amissæ notas.

Ta-

(a) *Sedeciam subeuntem videt.*
(b) *Sedecias inopinatis hisce reprehensionibus hæret attonitus.*

(a) Tamen hanc ſubibo, ſi placet, pœnam: tuum eſt
Jubere: Rex es. *Sed.* Itane me ſervus procax
Ludibrio habeat? *Eliſ.* Servus ego? Quis me, rogo,
Servorum in album retulit? *Nabuz.* Ornat ſic tuos
Diadema ſervos, murice ac tyrio chlamys
Saturata decorat? *Sed.* Nuper hunc notum exui
Cultum ipſe: ſervus induit; caperem ut fugam
Tutior, & hoſtes fallerem. *Eliſ.* Nunquam hæc fuga
Tibi excidiſſet ore: ſatis hæc te arguit
Falſi. Citato nonne pergebam gradu
Ægypti in aulam, tuque tendebas fugax
In ſenticoſa nemora, & abruptas ſpecus?
Uter receptus ſed magis deceat gradum
Regnantis, ipſe noſcis. An non par erat
Amica regna petere propulſum ſuis,
Victumque Regem? Non diu conſtat ſibi,
Qui falſa loquitur. *Nabuz.* Tacitus has technas feram?
Idoneum ergo me putas, facile queas
Quem capere nugis? Vile mancipium metus
Sic nullus urget? *Sed.* Sortis adverſæ tenor
Quo me redegit! Prodor, illudor miſer.
Poſt Solymam ab hoſte dirutam, & raptas opes,
Poſt tot meorum funera, ac ſobolem meis
Revulſam ab ulnis: concidit poſtquam ſpei
Quidquid ſupererat: perdidi poſtquam omnia;
Reliquum quod unum fuerat, a ſervo rapi
Me mihi patiar inultus? Aut natos, opes
Et ſceptra Victor reddat: aut Rex, & parens
Cuique notus clade, quæ ſobolem premet,
Opprimar eadem. *Nabuz.* Neſcit effrænis dolor
Simulare. *Eliſ.* Noſco, incerta jam tibi mens labat:
At eſto, dicta, quæque ſunt oculis palam
Subjecta ſpernas: Dic, rogo, inſtarem licet
Diris, probriſque, ſæva minitarer licet;
Nonne ſatis, eſſe me patrem obſequio pari
Nati probarunt? Falſa jactantem virum
Gemino revinco teſte, quo major nequit
Adhiberi in hanc rem. *Nabud.* Vera narras. *Sed.* Vel meos
Gnatos fefellit. *Nabuz.* Deſine, ac demum tuum
Agnoſce crimen. *Eliſ.* Noſtra non fuerat ſalus
Tuenda ſcelere. Perdit in Regem fides
Decus omne, turpi fraude niſi prorſus vacet:
Nec recta prodeſt velle, niſi recte velis.
Tamen ad ſalutem cum meam hic tendat dolus;

Ve-

(a) *Ironice.*

Veniam meretur. Inclyte o Dux hanc peto,
Oroque ſupplex. *Sed.* Sed petis fruſtra, pudet
Quam ſic mereri. *Habuz.* Nemo commiſſi reum
Se retegit ultro: tegere nam ſerus pudor,
Delere culpam quam nequit, verbis ſtudet.
Sed. Vanum hic morari eſt. Ante quam mergat diem
Titan in undas; aderit agnoſcens mea
Nabucus ora, cujus ante oculos tuas
Fraudes retundam. Protrahi mortem haud piget,
Dum non inultus moriar. (*a*)

SCENA V.

Nabuzardan, Eliſama.

Anceps, & aliquantulum hæſitans Nabuzardan ab Eliſama commentitiis narrationibus in errore obfirmatur.

Nabuz. Has inter vices
Mens rurſus hæret dubia: confidit ſuæ
Nimis ille cauſæ. *Eliſ.* Simulat egregie quidem;
Sed ſimulat. Hic ſervus ſagax certe, ac meæ
Amans familiæ nomen adſcivit ſibi,
Meamque ſortem, fabulam hanc ad exitum
Ut nempe traheret, fama quem facti memor
Longæva celebret. *Nabuz.* Quem exitum? *Eliſ.* Cupit hac (via,
Quam mihi paratam cenſet, intrepide necem
Pro me ſubire. *Nabuz.* Et unde tam conſtans fides,
Tantus amor ortum duxit? *Eliſ.* A puero meæ
Aſſuevit aulæ: prima militiæ dein
Initia poſuit. Rebus at regni, potens
Conſilio, & armis præfuit poſtquam, diu
Expertus illius fidem, & gemina parens
Jam prole dives, laude præſtanti viro
Utriuſque curam tradidi. Noſtras vices
Supplevit ille: patris hinc nomen tulit.
Nam patrio amore ad fortia inſtruxit, nihil
Et molle ſapere, exempla virtutum ſequi
Teneros alumnos docuit: hos ſecum ad latus
Socios laborum duxit. O quantum foret,
Quam clarum ab illis, & mihi, & Patriæ decus,
Si fata ſinerent; (*b*) At vetant.. *Nabuz.* [Illum audii
Talia loquentem, cum meum oppoſita manu

Gla-

(a) *Diſcedit.*
(b) *Illacrymatur.*

Gladium cohibuit nuper] (*a*) *Elis.* Has Patri breves
Permitte lacrymas . *Nabuz.* Tibimet , ac Natis bene
Sperare jubeo . . . Cæterum fraus , hæc cito,
Retegenda , ad irritum cadet : nam hodie , hic celer
Nabuchus aderit , cujus occursum haud scio
Cur cupiat ille , conscius cum sit doli .
Elis. Cum Solyma facibus rueret assyriis flagrans ;
Medios in hostes fata subiturus gradum
Audax ferebam : mens erat Patriæ rogo
Sociare nostrum (Eversa quos condit Sion
Cineres meorum testor) en sese obviam
Tulit Altor ora madidus , & vellens comas ,
Natosque tendens , inquit : ecquo te rapit
Demens cupido ? Hicne tibi Natorum est amor ?
Hæc cura ? utrumque siccine in præceps trahis ?
Conferre publicum ad bonum quidnam potest
Regale tecum penitus excisum genus ?
Hæc inter æger , manibus amplexans pedes ,
Remoransque gressus , imbre rorabat genas
Filius uterque . Victus his lacrymis manus
Dedi : dedissem o nunquam ! Amor flexit patrem .
Tunc ille : celeri perge in Ægyptum fuga :
Tibi Natus alter sit comes , membris vigens ,
Ævoque major : alterum mecum trahens
Dubios propinqvi nemoris anfractus petam .
Si qua tibi equestris turma percurrens vias
Occludat inceptam fugam (in testem voco
Hominum intuentem corda , quem colimus , Deum)
Vitam tuebor aut tuam , aut primus cadam .
Hoc est , quod ille Regis occursum haud timet
Mori paratus , nec suum reputat dolum
Carere fructu . *Nabuz.* Sospites ambos volet
Pietate , & armis inclytus victor sui
Rex æque , & hostium . at vale : aliorsum vocor . (*b*)
Elis. Nunc majus aliquid instat : hostili e manu
Eripere Sedeciam est opus : pretio fidem
Tentabo vigilum . Potior at fuerit labor
Illi fugam suadere , quem invisos dies
Trahere coegit usque adhuc Natorum amor ,
Fugam Parentis hos sequi prohibet vigil
Dux ipse custos , miles & circum frequens .
Audebo quidquid poscit in Regem fides .

ACTUS

(a) *Actu 2. Scen. 4.* (b) *Discedit .*

ACTUS IV.

SCENA I.

Nabuchus, Nabuzardan.

Nabuchus victoria elatus Deo se comparat, & præfert: deinde iubet ad suos pedes trahi Sedeciam cum filiis.

Nab. IMperet olympo Rex suus: Terris meum est
Jura dare. Motus ille cœlorum regat:
Regam ipse populos. Astra festivo sono
Celebrent, colantque, qui præest cœlo Deum:
At mole tellus stans sua attollat mihi
Simulacra, & aras, meque regnantem colat,
Lateque dominum: nec suum objiciat Tonans
Plerumque inane fulmen: Æthnæo in specu
Nulla licet incus resonet, ignavus Faber
Licet ore stertat lemnius; nunquam vacat
Mea dextra telis: irrita hæc nunquam cadunt.
Eversa ab imo jacuit his nuper Sion
Superba quondam; tota sed nondum jacet.
Rex nanque superest, qui suis fretus dolis,
Armisque poterit fretus alienis decus,
Nomenque Patriæ reddere, & sparsos fuga
Revocare cives. *Nabuz.* Jam tuo Regis salus
Suspensa nutu pendet. Ægypti plagas
Furtim petenti promptus objeci moras:
In vincla traxi. Nobilem hanc tibi fas erat
Reduci parari victimam. *Nab.* Invisum genus
In prole superest gemina. *Nabuz.* Et hæc capta est: magis
Et vincla prolis, quam sua ingemuit parens.
Nab. O grande regni columen, Assyriæ decus
Mea vota superas. Sæva quot posthac Pater,
Natique fererent bella, tot lauris meum
Cumulas triumphum. Dira progenies cadet
Exscisa tandem.. Et ipse sibi Pharao parem
Timeat ruinam.. Pignus amplexu hoc cape
Tu nostri amoris: proximus Regi dein
Ingenio, & armis consules regni bono:
Arabum sed ipse messe votiva colar,
Deoque compar supplicum excipiam preces.
Nabuz. Quidquid peregi, laude quod dignum putas,
Mercede nunquam caruit: hanc retuli statim

La-

Labore in ipso, bellum in Isacidas gerens:
Nam te jubente præmium est jussus labor.
Nuper receptum majus evadet, nova
Si bella jubeas. Summa non timeo aggredi,
Nec ima renuo. Nulla me residem dies,
Regio nec ulla cernet. *Nab.* Est tua jam mihi
Perspecta virtus.. Sed trahi huc captos jube,
Ut hoste coram læter, illique exprobrem
Fraudem pudendam. *Nabuz.* Jussa jam pridem dedi,
Et miror has lentas moras. Causam ut sciam,
Tibique referam, pergo.. At en Genitor subit,
Prolesque gemina.

SCENA II.

Nabuchus, Nabuzardan, Elisama, Hazael, Benasar.

Nabuchus, qui de facie Sedeciam optime noverat, ad aspectum Elisamæ furore corripitur, & Nabuzardan minis, probrisque a se repellit. Elisama simulationem suam ingenue aperit; sed interim nova simulatione Hazaelem, & Benasar suos esse filios Regi, qui Sedeciæ filios nunquam viderat, suadet.

Nab. TEne sceleratum caput
Aspicio? Frontem retege: violatæ hic pudor (*a*)
Fidei sit ultor primus.. At quis coram adest?
Illudor? Audes itane? Scelerate hoc nefas
Haud equidem inultum abibit. *Elis.* Advolvor tuis
Rex magne genibus: fateor: innocuo dolo
Celerem, Canopum versus arripui fugam
Indutus ostro, & esse me regem, palam
Ubique simulans. Causa simulandi hæc fuit,
Ut nempe specie captus instaret mihi
Infestus hostis, negligens Regem sequi.
Nab. [Nunquam ante sobolem noveram: hac saltem mihi
Datum est potiri] *Elis.* Plura quid tecum exigis?
Si forte censes me reum; pœnas dabo:
Moriar. Perennis posteris mea mors erit
Materia laudis. Tuque progenies mea
Hæc sequere fidei exempla: tibi nunquam excidat
Paterna virtus. *Nab.* Id etiam cogor pati?
Hæc ergo soboles est tua? *Elis.* Infelix parens
Hanc genui: & utinam fata subiissem prius:

Ni-

(a) *Manu sibi faciem tegit.*

Nimium feraces patris in luctum piget
Fuisse thalamos : nullus urgeret metus
Natis carentem. Martis adolevi in sinu,
Mortemque gladios inter, & galeas ducum
Humi jacentes, fortia & passim virûm
Disiecta campis corpora, instantem tuli
Fronte irretorta. Marte sed flecti haud potens,
Amore flector : solus essem si miser,
Felix viderer. *Nab.* Vulneri patuit locus:
Ultio parata est. Tuque proditor hinc abi, (*a*)
Fraus si patescat; membra discerptus lues
Inique pœnas : laurus haud victrix meas
Arcebit iras. *Nabuz.* Labis expertem fidem
Saltem probare liceat. *Nab.* Hanc factis proba.
Solem antequam æquor condat, huc tractos volo
Natos, Patremque : nec moras patiar diu :
Hac lege vives.

SCENA III.

Nabuchus, Elisama, Hazael, Benasar.

Nabuchus, filiorum intentata cæde Elisamam, quem falso illorum genitorem putat, ad Sedeciam manifestandum inducere conatur.

Nab. QUisquis es fraudum artifex;
Aut retege ubi Rex lateat, aut cæsus cadet
Te coram uterque filius. *Elis.* Quidnam audio?
Nab. Huc arma ferte milites : stricto emicet
Mucrone dextra. *Elis.* Barbari petite hunc sinum;
Nil remoror ictus : siquod admissum est scelus,
Meum est. *Nab.* Paternæ magna pars culpæ fuit
Soboles : sit etiam vindicis pœnæ. *Elis.* Reos
Scis unde gnatos esse? *Nab.* Genitorem sat est
Novisse. Pronus labe nativa in malum
Raro æmulatur patrias laudes puer;
Sed vitia superat : hos tamen, si vis, potes
Subtrahere letho. *Elis.* Nempe si letho offeram
Regem sacrilegus proditor. *Nab.* Pactam fidem
Prior ille fregit. *Elis.* Crimen imitari pudet.
Nab. Jus habeo in illius caput. *Elis.* Sed nullum habes
Scelus jubendi. *Nab.* Miles huc : frustra moras
Quid fando trahimus? *Elis.* Sic retro fas, & pudor
Abie-

(a) *Vertit sermonem ad Nabuzardan.*

Abiere? Vos huc pergite, o Nati: falus
Vos veftra doceat Regis irati minas
Mollire lacrymis. *Ben.* Mene degenerem, metu
Trepidumque morti occurrere, & mortis decus
Violare fletu? Sic mori cupio: in finum
Mucronem adigite: pectus en gladiis patet.
Haz. Major ego natu, ut primus occidar, rogo:
Hoc fodite jugulum: lenta quid ceffat manus?
Elif. Hæc ipfa noftros, clara quæ virtus alit,
Augetque amores, patris ærumnam gravat,
Et vulnus addit vulneri. Affyriæ o potens,
O domitor Orbis, cujus imperium timent,
Vel qui timentur, nil meas pœnas moror:
His parce, labes nulla quos culpæ inquinat,
Quofque juvenilis ardor, & virtus agit
Ad fortia. O quales tibi laudes erunt,
Quantus honor, ambo munere incolumes tuo
Si tua fecuti caftra fulmineo gradu
Pericla fubeant Martis! Heroas tibi
Tuere geminos. Tota me contra ruat
Ultoris ira. Sic tui pignus tori,
Hærefque regni difcat exemplo tuo
Palmas referre ubique victrici manu:
Quin vinci ab illo gaudeas felix parens.
Nab. Vana hæc. Id unum loquere, quo prolem tibi
Utramque ferves fofpitem. *Elif.* [Eft Regi fides
Servanda primum] *Nab.* Renuis at quoniam loqui;
Exequere miles *Elif.* Exequere *Nab.* At o, quis fubit?
An fallor? Ipfe Sedecias: hic certe; hic eft;
Agnofco vultum.

SCENA IV.

Nabuchus, Sedecias, Hazael, Benafar, Elifama.

Sedecias inopinato adveniens barbarum filiorum cędem retardat.

Sed. SOrte ab adverfa obrutum,
Miferumque Regem cernis. *Nab.* Ingratum, impium
Cerno, cui fceptra dederam: in me qui mea
Convertit audax dona, mihi bella inferens
Sacrilega bella; puduit hinc Superos tuis
Favere fignis. Pulfus en regno jaces
Neglectus, exfpes. Perge nunc, pharios voca

In arma populos, & meum audacter probris
Numen lacesse. *Sed.* Regna præcipiti rota
Fortuna volvit: una nonnunquam dies
Dat sceptra, & aufert. Si sapis, Sortem time
Nimium faventem, & parcius velo excipe
Auras secundas. Forte si de te brevi
Alius triumphet hostis, imitator tui
Ne sit furoris præcave. Nec te efferat,
Quod vincla patior: pronum iter patuit fugæ:
Bis tacitus hinc pedem extuli; sed bis me amor
Jussit reverti. Ferre tu cogis patrem (*a*)
Hæc vincla: tuque cara progenies mei
Causa es doloris. *Haz.* Pectoris robur labat
Pietate motum: fronte porrecta necem
Pati statueram: nunc meæ per te perit
Pars magna laudis. *Ben.* Funeri nostro tuum
Cur funus addis? *Nab.* Hæccine est soboles tua?
Sed. Hæc est. *Nab.* (*b*) Tuam esse inique deceptor mihi
Simulare es ausus? Aliud ex alio scelus,
Novasque fraudes detego. I mendax procul
Pœnas daturus. *Elis.* Ut tamen statuas pares;
Aliud docebo crimen: in tuto Parens
Qua se locaret, ipse reclusi viam.
Nunc statue pœnam. At nostra, lictoris manum
Fors antevertet: mortis acceptum tibi
Munus referre nolo.

SCENA V.

Nabuchus, Sedecias, Hazael, Benasar.

Frustra Sedecias orat pro filiorum vita obtinenda. Nabuchus illum cum filiis in carcerem detrudi iubet.

Nab. VIx mihi do fidem:
Infida gens hæc mente quot versat dolos!
Pereant scelesti. *Sed.* Moriar: indecorem pudet
Vitam rogare. Quod rogo, solum est, fatos
Ut stirpe Regum, sceleris expertes velis
Servare natos. *Nab.* Semini par est seges:
Et esto nunc sint, non diu insontes erunt:
Patrem sequentur, quod tuo exemplo doces
Avos secutus impios. *Sed.* Pœnas luant

B Cur

(a) *Sermonem dirigit ad Hazaelem, & Benesar.*
(b) *Alloquitur Elisamam.*

Cur ante crimen ? *Nab.* Publicum expoſcit bonum
Pœna impediri ſcelera , quæ regno nocent .
Plecti meretur pariter , eſt qui jam reus ,
Quique eſt futurus *Sed.* Velle quid capti queant ,
Rerumque egeni ? Sed velint ; quidnam furor
Audeat inermis ? *Nab.* Cinere qui preſſus latet
Neglectus ignis , laxat interdum ſibi
Furtim doloſas rimulas , per quas trahens
Sulphur propinquo ab aere , antiquas ſtatim
Vires reſumit : apta quod ſi non procul
Alimenta diſtent ; igne cumulatus novo ,
Furenſque late ſternit objectas domos ,
Urbemque totam . Germen infenſæ cupis
Supereſſe ſtirpis , unde ſuccreſcat nova
Poſt pauca forſan luſtra bellorum ſeges .
Sed. Nil eſt timendum . Quidquid Iſacidum lues ,
Fameſque reliquum fecit , exhauſit furens
Satura nec unquam ſanguine imbuti ſemel
Gladii libido . *Nab.* Dives eſt tellus opum ,
Hominumque dives , improbas quæ ſpes alit :
Velox in arma rurſus Ægyptus ruet .
Meum eſt cavere : Regna cuſtodit metus .
Sed. Laceſſit odia , quæ cavet , præcox timor ,
Hoſteſqve cogit eſſe , quos putat . *Nab.* Doces
Satis ipſe me non metuere umbras futiles .
Poſtquam ſubegi Marte , violatæ reos
Fidei , duoſque e ſede regali expuli (*a*)
Reges Sacrilegos , aureum impoſui tuo
Diadema capiti , fœdere atque icto in meam
Fidem recepi . At immemor pacti en cies
Nova bella : tecum Pharao me contra movet
Niliaca ſigna ; jure nec timeam fore ,
Exempla poſt hæc , relegat ut patrias vias
Genitore ſoboles pejor ? An toties meum
Progenie ab una Numen offendi ſinam ?
Huc aliquis (*b*) Hæc monſtra avehite : clauſo in ſpecu
Diſcant propinquæ mortis horrorem pati .
Sed. Ah miſera proles ! *Haz.* Ora quid fletu madent ?
Vixiſſe tecum ſi nequeo ; præſtat mori .
Ben. Fratris , Patriſque funeri o liceat meum
Præire funus ! (*c*) Annue his votis : decet
Id vel tyrannum .

SCE-

(a) *Manaſſen lib.2. Paralip. c.33. 11. & Joachin lib.4. Reg. c.24. 15.* (b) *Accurrunt excubitores.* (c) *Nabuchum alloquitur.*

SCENA VI.

Nabuchus, Nabuzardan.

Nabuchus filiorum Sedeciæ immaniſſimam cædem, & Sedeciæ excæcationem decernit.

Nab. CUr gradu ancipiti ſubis?
Jam pectus iram poſuit. Ignotus tuos
Decepit oculos Genitor, ut nuper meos
Ignota ſoboles: error amborum parem
Veniam meretur. Pœna, quam quiſque horreat,
Nunc eſt paranda. *Nabuz.* Superet aſſuetum modum:
Dignamque ſtatue, quam tibi invideat furor
Vindex Tonantis. *Nab.* Parcerem ut Natis Parens
Supplex rogabat, immemor ſui: hinc petam
Pœnarum initia. Patris ante oculos cadat
Laniata ſoboles: lenta ſit cædes tamen,
Ne vulnus ullum fugiat obtutus, dolor
Neve alter alterum obruat. Poſthæc manu
Prolis recenti ſanguine aſperſa involet
In Patris oculos lictor, & ſede e ſua
Orbes revellat luminum. Amiſſo die,
Mortem ille protrahat ſuam, alteque indita
Inſideat animo ſemper, aſpectæ ſemel
Imago cædis. Inſtrui extemplo hanc jube;
Poſſim ut cupito citius aſpectu frui.
Nabuz. Ne tua retardem gaudia, actutum advolo.

ACTUS V.

SCENA I.

Nabuchus, Nabuzardan.

Poſt multa ultro, citroque dicta de filiorum cæde, & Sedeciæ excæcatione, Nabuzardan vocat in invidiam Eliſamam, a quo fuerat deceptus. Demum ambo ſe in penitiores ſilvæ latebras recipiunt, voluptatem capiendi cauſa ex Sedeciæ adventantis querelis.

Nab. CAnite triumphum: nunc meas ornet comas
Geminata laurus. Verſa ſpes omnis jacet:
Jam nulla ſupereſt dextra, quæ lapſam erigat

Solymam ; diei luce cum careat Parens ,
Nati perierint . Reparet an , quæ non videt,
Sua regna Genitor ? Reparet an Soboles latens
Acheronte in imo ? Discat Assyrium Deum
Timere tellus . *Nabuz.* Concuti venas gelu
Sibi quisque sensit , intuens cæsos Patris
Ante ora Natos : me quoque invasit tremor :
Quin ipse lictor hæsit ad cædem piger ,
Remoransque vulnus horruit , cum se Hazael
Impulit in ensem impavidus , & vultu minax .
Mox capite cæso truncus aliquantum stetit ,
Quo caderet anceps : pronus ad patrios pedes
Subinde cecidit . Quodque magis exhorrui ,
Vulnere recepto saucius Benasar sinum ,
Torvus , feroxque vulneri admotam illico
Utramque vivo sanguine opplevit manum :
Addensque : quem sitis , bibe , aspersit tuam
Cruore chlamydem . *Nab.* Genitor at cumulum addidit.
Non sic sagittis latera confossus leo
Frendet , gemitque , ut ille violenter sua
Vincula relaxans murmur incertum fremens
Fundebat ore . *Nabuz.* Lictor & postquam eruit
Oculos furenti , nexibus , jussu tuo ,
Manus solutas vertit oculorum in cavos
Statim recessus , aliquid amissæ timens
Superesse lucis , conscium & cædis diem
Nondum latere . At inde furiali impetu
Opprobria diris miscuit : stygiam colunt
Quotquot paludem monstra , quotquot fulmina
Jaculatur æther provocans frustra in tuum
Caput , suumque . Sed parem sibi te Dii
Verentur , & amant . Nulla gens est tam rudis ,
Quæ renuat aras tollere , ac prompte tibi
Adolere thura . Jam tuum gaudens jugum
Subire certat , sole quæ primò rubet
Eoa tellus , quæque morientem diem
Occidua condit. *Nab.* Peperit incussus timor,
Gladiusque victor hæc mihi obsequia . Haud secus
Postquam Gigantes sidera aggressos Tonans
Stravit corusca fulmen excutiens manu ,
Motosque cœlum contra , in illorum caput
Montes revolvit ; cœpit humanum Genus
Colere Tonantem . Fræna moderantem imperj
Opus est timeri , ne timeat : auro Comas
Quamvis revinctus , servit ; audacem nisi

For-

Formido populum ſubigat, & cogat pati
Imperia tacitum. *Nabuz.* Metuo, ne vulgus rude
Pejora ſectans, reſeret os clauſum diu.
Amens dolore Eliſama incendit leves,
Facileſque mentes plebis. Audax te palam
Vocat tyrannum. Pœnam in audacem Virum
Cur ergo differs? *Nab.* Ut diu ulciſcar. Prius
Reddantur uſu levia, quæ patitur mala:
Poſt cæſus enſe pereat, ærumnas minus
Cum ferre graviter cœperit: nam mors foret
Nunc præmium illi. At interim Regem ſuum
Oculis carentem ducat, & greſſus manu
Firmet labantes. Poſtea innexi, gradus
Remorante vinclo, pone laurigeras rotas,
Sint pars triumphi.. At ecce ſic juſſi ferunt
Huc ambo greſſus. Ante quam illos alloquar;
Hic ubi receſſus nemoris interior latet,
Audire cordis intimos ſenſus libet,
Ut fonte ab ipſo gaudia uberius petam.

SCENA II.

Sedecias, Eliſama.

Sedecias de Nabuchi immanitate, filiorumque cæde conqueritur. Curat Eliſama, ut illius furentem animum demulceat, eique demum manifeſtat, ſe ob venenum ſponte hauſtum brevi moriturum.

Eliſ. [LEthale virus permeat venas: prope eſt
Ut fata ſubeam] Perge ſecuro gradu:
Cur dubius hærens nectis iteratas moras?
Sed. Siqua tibi miſeri patris eſt pietas; cave
Ne membra prolis conteram, incauto aut pede
Premam cruorem. *Eliſ.* Accede: nequicquam times:
Innoxia via hæc cæde Natorum haud madet.
Sed. Itane ad tyrannum callis innocuus patet?
Maderet utinam cæde Genitoris. Meum
Protraho quid ultra funus? In noſtrum caput
Ignita cæli jacula certatim ruant:
Diſciſſa tellus reſeret infernos ſpecus,
Condatque miſerum, mergar & vivens adhuc
Acheronte in imo. Monſtra, quæ Phlegethon alit,
Minus eſſe ſæva reputo, truculentas minus
Diras Sorores, quam ſit Aſſyriæ ferox

Tyrannus, osor generis humani, impudens
Regum cruentus carnifex, spretor Dei.
Annuere Superi, & Inferi at quoniam meis
Votis recusant; me trahe incertum viæ,
Pendet ubi rupes, tumidus ubi torrens casas,
Pecudesque secum raptat, ubi resonant feris
Ululata nemora, litus ubi pulsat Thetis,
Ubi rogus ardet. Si negas; dextram amove,
Mihi me relinque: mortis inveniam viam
Ducente nullo. *Elis.* Dura, quæ pateris mala,
Virtute subige, juris in quam nil habet
Aliena feritas. *Sed.* Tu quoque haud nostri ultima
Pars es doloris. Gerere debueram tibi
Morem: celeriter, non adhuc notus, pedem
Nam si tulissem, quo tuus amor, quo fides
Iter reclusit; nostra frueretur die
Extincta Soboles: quippe laniari ferox
Illam Tyrannus jussit, ut gladius meum
Confoderet animum sævius: diræ hæc fuit,
Hæc una cædis causa: spectator Parens.
Proh tigris! ... At quas, sim licet visu carens
Intueor umbras? Video confossum latus
Vulnere recenti: video pallentes genas,
Artusque laceros; sint luto asspersi licet
Agnosco vultus, & juvat vel sic meos
Vidisse Natos. Vos sequi o detur! dies
Quid duco inertes? Vestra ne possum quidem
Lugere acerba fata: vel lacrymas furens
Eripuit hostis. *Elis.* Desine hoc luctu tuum
Augere vulnus. Qui premit nunc te dolor,
Minuetur ævo. *Sed.* Ah filii .. Hircanis feris
Rex sævior! Postrema non licuit mihi
Libare Natis oscula, illos & sinu
Fovere patrio, membra cum mortis gelu
Squalida rigerent. Tegere nunc saltem rudi
Liceret urna; timeo ne jaceant humi
Ambo relicti. Tu meas supple vices.
At forsan avium rostra, vel rabidas tigres
Pavere nemoris: siquid illorum est super,
Tu conde tumulo: justa tu solve, & vale
Concine supremum. Sicubi invenias; cape
Parentis oculos, marmore atque uno tege:
Lateat, amatæ Sobolis ubi cineres latent,
Pars aliqua nostri. *Elis.* Perbreve haud tempus sinet,
Ut tua capessam jussa. Quod nuper bibi,

Jam

Jam mihi venenum pectus astringit gelu.
Sed. Sic me relinquis? *Elis.* Cernere oppressum malis,
Miserumqve nequeo. Donec affulsit, tibi
Opem ferendi spes aliqua, vixi: super
Est nulla postquam; cur dies ultra traham?
Licet quod unum, morte testabor fidem,
Quam nequeo factis. Rex adest. *Sed.* aliquod tulit
Jactura lucis mihi bonum: horrificos vetor
Videre vultus.

SCENA III.

Nabuchus, Nabuzardan, Sedecias, Elisama.

Postquam Nabuchus, & Sedecias, alter alteri multa exprobraverint; Elisama veneni efficacitate iam morti proximus discedit. Nabuchus vero militum profectionem Babylonem versus, ac triumphalem ingressum indicit.

Nabuz. DIrige ancipitem illico (a)
Ad genua Regis. *Sed.* Perculit quinam sonus
Insuetus aures? Siccine accidere ad pedes
jubeor tyranni? Quem Deo cultum negat,
Ipse sibi poscit? *Nabuz.* Desine hæc demens loqui.
Nab. Cui nulla superest spes, Deos ipsos furens
Dictis lacessit. *Sed.* Turpe proh Divûm genus,
Quos tulit ad aras cordis insani tumor!
Nab. At me esse, quem verbis negas, clare docent
Turrita quondam Solyma, nunc altus cinis,
Tibique sceptra, quæ dedi, ultorque abstuli,
Raptaque perenni nocte fœdifrago dies:
Quin patre coram, non sine aliorum metu
Laniata soboles. Bella num Mavors gerit
Magis timenda? certius figit sua
Num tela Phoebus? Jacula vel vindex Tonans
Graviora torquet? *Sed.* Fabula invexit Deos,
Queis stulte temet comparas. Jactas palam
Quæ facta tumida fronte, si tibi cor sapit,
Meminisse pudeat. Nam lues dira, & fames
Solymam subegit, milite orbatam dein
Vos diruistis. Scit vel imbellis puer
Jacere tenella missiles dextra faces,
Vibrare & arcu spicula in viduas domos,
Vacuasque turres. Sceptra non refero tibi

(a) *Elisamam alloquitur.*

Accepta ; ſed Avis : hoc tamen facinus tuum eſt
Rapuiſſe , miles tabe cum clypeos ſuper
Jaceret æger . Strenuum in pueros recens
Cruenta cædes te probat : patre at manus
Poſt terga vincto . *Eliſ.* Pone jam verbis modum :
Dediſce regem . *Sed.* Eliſama hinc greſſus procul
Properemus alio . Præſtat infernos ſpecus
Subire potius : niſi quod e mente excidit ,
(*a*) Mihi , te jubente , nocte perpetua diem
Fuiſſe raptum . Facinus o clarum , o decus !
(*b*) Age dum Tonantis inſtar , imperio rege
Diei , & atræ noctis alternas vices ,
Orbeſque volve ſiderum ... Inſulſum caput !
Nabuz. Quis te furor agit ? *Eliſ.* Loquitur haud compos ſui:
Veniam meretur .. *Nabuz.* Subitus at quinam inficit (*c*)
Ora tibi pallor ! Quid rei eſt ? *Eliſ.* Morior .. dies
Eripitur oculis .. Hebetat & mentem ſtupor .
(*d*) Mi Rex , quod unum poſcit hic rerum ſtatus ,
Victoris animum flectere obſequiis ſtude ,
Blandiſque verbis . (*e*) *Sed.* Nequeo conſilia hæc ſequi .
Lethale poteras poculum ah potius meis
Præbere labris . *Nab.* Doctus aſſueſces malis
Regem vereri , aut coget invitum timor .
Sed. Mors una ſupereſt , qua metum incutias : ſed hæc
Nihil timendum retinet , ubi regnas : puto
Quin eſſe munus . Liceat hoc probris mihi
Si comparare ; congeram in te quot furor
Sufficiet ori : congeram nunquam tamen
Quot quot mereris . *Nab.* Euge : victorem allatra :
Effunde virus omne : me argutis procax
Laceſſe dictis . Sed tuus fruſtra eſt labor ,
Si fata ſperas . Te diu miſerum volo ,
Diuque populi vile ludibrium . *Sed.* Procul
Non tamen ab hominum genere verſabor feras
Inter , colamque nemora . Reſponſis fides
Si danda vatum (*f*) , vera quos loqui ſatis
Experior , in te prorſus inſueta apparat
Snpplicia Numen . Fronte lunata , & gravi

Cer-

(a) *Iterum alloquitur Nabuchum .*

(b) *Ironice .*


(c) *Inopinato in vultu Eliſamæ ſigna propinquæ mortis deprehendit .*

(d) *Alloquitur Sedeciam .*

(e) *Innixus excubitoribus diſcedit .*

(f) *Dan. c.4. 2. Anacroniſmus .*

Cervice, latum pronus in ventrem, putres
Bifida pererrans ungula inscribes agros,
Atque ore rauco mugies. *Nab.* Vates rudi hæc
Narrent popello somnia. Ærisono interim
Nexu revinctus colla, submittes meam
Frontem superbam pedibus, & currum sequens
Titubante gressu, fultus aliena manu
Babylona scandes: obstrepet populus jocis,
Audaxque Puerûm turba complodens manus.
Sed. Forsan vel hostis ingemet nostris malis,
Pietate motus: tuque forsan non semel
Resonare patriis vocibus circum audies
Nomen tyranni. *Nab.* Perge Dux: pompam instrue,
Reditumque adorna militum. *Nabuz.* Concors canat:
Jo triumphe, miles, & laudes tuas
Spargat ab eois fama ad hesperias plagas.
Teque vocet Orbis totus Assyriæ Deum.



JONATHAS

TRAGOEDIA II.

ARGUMENTUM.

Post egregium Jonathæ facinus, qui a propinquitate hostilium castrorum, ingenioque loci occasionem nactus, per inaccessas rupes, semitasque præruptas cum Armigero suo in hostes inopinus irrumpens cruentam illis cladem intulerat; Saul cum prosequi victoriam cuperet, spemque totam in celeritate positam intelligeret, toti Populo sub capitis pœna iuratus edixit, nequis cibum ullum sumeret, donec fugientium hostium reliquiæ deletæ essent. Juramentum hoc luctuosam rerum conversionem attulit. Nam Jonathas citatis gressibus percurrens silvam, in qua forte apes mellificaverant, paucas mellis guttulas extremitati virgæ, quam præ manibus habebat, adhærentes libavit incogitans. Quamobrem Achias summus Sacerdos, qui versabatur in castris, a Deo quinam futurus esset belli exitus sciscitans, nullum retulit ab illo responsum: atque hinc suspicione suborta, ne scelus aliquod occulte aliquem de Populo inficeret, in cuius pœnam oracula negarentur, ad reum detegendum sortitio indicta est. Ductæ de more sortes Jonatham peccati reum declararunt.

In hoc rerum articulo Saul sacramento astrictam Deo fidem liberare strenue decrevit: nec impari strenuitate Jonathas, se Genitori suo ad mortem obeundam paratissimum exhibuit. Sed populus id indigne ferens spopondit, idque iuramento firmavit, se nunquam permissurum, ut invictissimo Duci publicæ incolumitatis assertori mali quidquam inferretur: qua ratione Saulem non admodum invitum, de sua sententia, susceptoque consilio dimovit. Lib. primo Regum Cap. 13. & 14.

His, quæ ex sacra historia habentur, pauca ad tragœdiæ ornatum adiungimus. Primo itaque, mutatas fortunæ vices, & belli progressum auspiciis minime consentaneum, ad ignavum Saulis de Deo diffidentis timorem referimus: quo nempe impulsus, contra Samuelis Prophetæ præscriptum, septimo die nondum completo, victimas in Galgalis immolavit, ut habetur ex nuper citato Cap. 13. Lib. primi Regum.

Secundo Jonathæ Sponsam, & Cohortium Præfectos va-

riis artibus contendentes inducimus, ut Jonathæ vita periclitanti opem ferant.

Tertio Samuelem ipsum in scenam proferimus, qui Saulem de Dei placito certiorem reddit, futurosque Israeliticæ Gentis triumphos, aliaque multa fatidice portendit.



PERSONÆ.

SAUL. *Rex.*

JONATHAS. *Filius Regis.*

JABEL. *Jonathæ Sponsa.*

ACHIAS. *Summus Sacerdos.*

SAMUEL. *Propheta.*

NACHOR. *Jonathæ Armiger, & Familiaris.*

ASAPH. *Veteranorum militum Ductor.*

Scena in Valle prope Gabaa.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

Saul, Asaph.

Saul filii sui Jonathæ adventum præstolatur, & Asaph veteranorum militum duci mandat, ut milites hortetur ad alacriter insectandos hostes, & ad fideliter servandum votum.

Saul Ac in reducta valle, quam circum juga
Montana claudunt, Filius aderit brevi:
Huc ille properat, sive nocturnæ modum
Narrare cædis cupiat, & mecum sua
Dividere citius gaudia, arcanos velit
Sive mihi sensus credere, & facinus novum
Conferre mecum, ut verius reputo. Dies
Condicta, noctis abigit en tenebras. *As.* Viden'
Rutilus ut ore Phoebus insuetum jubar
Affundit Orbi? Scilicet lætus tuis
Plaudit triumphis. *Saul* Dextra bellantis Dei
Disiecit hostes. Referat hic laudem: huic decet
Trophæa tolli. Præter omnem spem nec est
Nunc parta primum Gentis electæ salus:
Hac nanque Fratrem dextera e medio hostium
(*a*) Subduxit Abram: pinguis hac alte sinum
Confossus Eglon cecidit in vulnus (*b*): potens
Hujus ope Samgar vomere armata manu (*c*)
Sexcena capita secuit Allophylum. Juvant
Nil arma, fortesque aggeres, contra movet
Ubi bella Numen: nonne lituorum canor (*d*)
Jerechuntis arces illico æquavit solo?
Quot castra vertit, domuit & Reges sacrum
Fatalis Arcæ ferculum! A populo scelus
Sed absit omne: quippe de nostra tulit
Opima quoties Gente barbaricus furor;
Diris sceleribus ipsa se in cladem induit.

Ergo

(a) *Genes. c.14. 16.* (b) *Jud c.3. 21. 22.* (c) *Judic. c.3. 31.* (d) *Josuæ c.6. 20.*

Ergo pererrans agmen id cura, insequi
Ut pergat hostes, nec moram innectat: dapes,
Potumque libet nemo; nisi postquam diem
Condiderit æquor. Capite commissum luet,
Qui vota franget: id ego pollicitus Deo,
Obstrinxi ad aram jurejurando fidem.
As. Belli, viæque fessus aut sistet gradum,
Aut miles ægre languidos gressus trahet.
Saul Ad id cavendum provide, nanque arduum
Nihil est volenti, militum assensu, & ducum
Pia vota feci. Quidquod in bello insolens
Non est diei unius esuriem pati?
As. Ubique tellus fruge multiplici viret:
Ubique melle quercuum cortex fluit:
Omnisque circum silva peregrinas opes,
Suasque promit; siccus & credis fore,
Ut miles illas peragret? *Saul* Arcebit metus,
Pietasque crimen. *As.* Judicis vultum timor,
Non crimen horret: Milites raro admodum
Pietas coercet. Mente qui rerum exitus
Samuel futuros penetrat, optassem, ut prius
Tua vota nosset. *Saul* Novit Antistes, præest
Qui primus aris, infula & sacra comas
Decorat seniles. Renuit iratus mea
Subire Samuel ora, quod sacrum obtuli
Egomet, parum ante septimum quam sol diem
Mergeret in undas; non procul distans tamen
Mea signa sequitur. Plura sed fando in mora
Tibi sum: celeriter perge. *As.* Contendam, ut bene
Res cedat: Utinam vota fortunet Deus!

SCENA II.

Saul.

Dum Sacrificii a se oblati ante septimum diem causam secum ipse reputat, festivo tubarum sonitu de Jonathæ reditu certior fit.

QUidnam erat agendum perdito in rerum statu?
Non me cupido laudis, aut mortis timor
Sacrum coegit propere ut offerrem: at salus,
Amorque populi. Magna pars raptim fugæ
Jam terga dederat, tesqua per, & alti juga
Prærupta montis turba reptabat, specus

Quæ-

Quærens latentes. Miles impulsus metu
Ne fugeret omnis; ante quam tenebris polum
Nox atra tegeret, castra dimovi. Ut reor,
Vel ipse Samuel sponte revocasset prior
Sua jussa; nisi quod ægrius quisque improbat
Sua, quam aliena.. Ast: en Victor: en Natus venit.
Festus tubarum clangor o quales ciet (a)
Motus paterno in pectore! Ingenti obrutum,
Pressumque mihi cor gaudio ægre vix suos
Reciprocat ictus. Nominis vindex mei,
Regnique clypeus, stirpis Abramiæ decus
Redit ille: tantæ dona virtuti queant
Quænam rependi? Jamque adest: cur hic moror?
Occurro propere.

SCENA III.

Saul, Jonathas, Nachor.

Jonathas post pauca intercisa verba, sedato primo affectuum tumultu, rerum gestarum seriem Genitori suo narrat, a quo incitatus ad urgendos hostes, casu deprehendit, hac super re, quam aggredi vult, divinum oraculum non fuisse consultum, utque de more consulatur a Genitore suo poscit, & impetrat.

Jon. HUc impulit gressus amor.
Sum victor: hostis terga dat.. Dextram Parens
Da jungere: amplexus cape. *Saul* O ingens patris
Spes, & voluptas te mihi tandem datur
Videre reducem, sospitemque. A te tuos
Quam cupio casus scire. Proh quoties gelu
Rigens, & animi dubius objiceres caput
Cuinam periclo, tacitus ea mecum putans,
Omnia timebam. *Jon.* Forte cum cuperem aggredi
Insigne facinus; mente volventem diu
Monumenta prisca, & facta nostrorum Ducum,
Quos clara celebrat fama, me rapuit statim
Inopinus ardor. Impete abreptus sacro
Per terga reptans montis ascendi jugum,
Castra ubi posuerat hostis, in quem mox celer
Irruo, & inertes, quasque furtivus sopor
Premebat, ense properus excubias peto,
Mecumque Nachor, qui comes graditur, ferox

In-

(a) *Audit festivum tubarum sonitum.*

Ingeminat ictus. Non procul distans nemus
Concussum ab Euris, atque adhuc terræ incubans
Nox densa tenebris auget horrorem. Capit
Arma hostis amens, seque turmatim induit
In amica tela, quæ putat nostra, huc ruit
Sine mente, & illuc: utque præcinctæ latus
Nebride furentes Mænades quosque obvios
Clamore, thyrsisque impetunt; sic vir virum
Urget, feritque: clamor it cœlo: rubent
Segetes cruenta cæde. Quod cladi super
Equitumque, peditumque fuit arva per, & fata
Palatur anceps: antra vel pavide subit,
Nemorumque latebras. Hujus at palmæ quota est
Pars nostra? retulit hanc belli arbitra
Dextera Tonantis. *Saul* Grator hanc laudem Deo
Fuisse partam: quodque tam læti exitus
Pars aliqua fueris. *Nach.* Non ita e nube igneum,
Rapidumque telum forte si resonans eo
Ruat, ubi populi turba collecta est frequens;
Circumvagante cuspide, hos, illos cadens,
Rediensque sternit, quosque non tangit, sono
Terret, fugatque; ut Jonathas gladium rotans,
Indomitus, acer fata præpropere intulit,
Quocumque gressus contulit ferro minax.
Bisdena primo fudit incursu, virûm
Metuenda bello corpora: exanimes metu
Coegit audax capere complures fugam.
Jon. Cum laude si quid egi; ad exemplum tuæ
Virtutis egi. Redde tu Genitor vicem
Nachor merenti. *Saul* Quam potero reddam. *Noch.* Mihi
Placuisse Regi præmium est. *Saul* Armis fugax
Urgendus est nunc hostis: haud satis est fugæ
Dedisse terga: non adhuc domitus jacet:
Fors mente volvit facinus, acceptæ probrum
Quo regerat ille cladis: adjungunt dolor,
Pudorque stimulos, Ite victrici manu
Delete sparsas hostium turmas, metus
Quas jam subegit: largius fusus cruor
Spem mergat omnem: stabilis & nostras plagas
Pax alma rursus incolat. *Jon.* Frustra cies
Animum paratum. Patris imperium sequor:
Referor in hostes, aggredi & Cœlo auspice
Nil renuo. Sed pande hac super re, quæ dedit
Responsa Numen: Scire nam cupio, ut nihil
Discedam ab illis. *Saul* Undique armorum fragor,

Fu-

Fugaque meorum militum a cura hac meum
Abduxit animum ; nec licuit , ut par erat ,
Responsa poscere . *Jon.* Actio cœpta est Deo
Opem ferente : bellico imponet Deus
Finem labori . Dux ego his cœptis minor .
Quid summus armorum Arbiter fieri velit ,
Scrutare Genitor . *Nach.* Prosperis nulla est fides
Habenda initiis . Mollior cujus sinus
Explicuit aura , non semel mersa est ratis
Prope subitura litus . Inopinos habet
Mavors regressus : sæpe revocavit pudor
Animos jacentes , vicit & bello , fuit
Qui victus ante prælio . *Saul* Haud tanti interest
Vicisse , quanti premere sic victos , brevi
Reparare vires ut suas nequeant . *Jon.* Jube
Deum ergo citius consuli . Ut læta , aut secus
Divina fuerint monita , calcar aut spei
Rependet impensam moram , aut litui canent
Statim receptui . *Nach.* Adde quod victos gravant
Decursa spatia , noctis & diræ labor :
Spero hinc futurum , capiat injussus sopor
Fessos ut artus . *Jon.* Terga fugientum interim
Noster sequatur miles expenso gradu .
Saul Attemperate huc almus Antistes subit .

SCENA IV.

Saul , Achias , Jonathas , Nachor .

Officiosæ gratulationis causa Achias obviam venit Jonathæ , qua opportunitate capta Saul ipsi imperat , ut Numinis responsa quærat .

Ach. MAgnanime Princeps gratulor regnum tua
Stetisse dextra . Quotquot Heroas vigens
Nunc fama celebrat , quotque belligeros viros
Impulit in arma civium , & patriæ salus
Excedis unus . Rebus ex gestis cape
Omen futuri . *Jon.* In vota tu Cœlum prece ,
Sacrisque flecte . *Saul* His dabitur officiis locus :
Sermone longas trahere non vacat hic moras .
I propere ad aram : posce fatidicos sonos ,
Responsa posce . *Jon.* Possit an tuto insequi
Hostes fugaces Victor : an contra ; statim
Scitare . Nostro timeo fallax nequa spes

Sub-

Subrepat animo. Vana plus æquo ſibi
Mens fidit hominum, læta cum forte accidunt.
Ach. Juſſa ſequor. Utinam detur, adytis e ſacris
Ut fauſta referam. (a) *Nach.* Dabitur: an Numen ferat
Superato ab hoſte deteri partem ſuæ
Sibi laudis? *Jon.* Ipſe jam mihi hac, illac Duces
Urgere videor, ſternere & plures humi,
In vincla plures cogere: hanc in ſpem erigor
Fretus Tonante. Ducat a Superis rei
Auſpicia quiſquis confici læto exitu
Rem ſperat. *Saul* Alte pectori inſideant tuo
Hæc, Nate, dicta; Verum agite ad aras gradum
Properate mecum. Citius id ſcire intereſt:
Quem fata cœptis rebus eventum parent.

ACTUS II.

SCENA I.

Saul, Jonathas.

Nullum fuiſſe a Deo habitum reſponſum, id quod ab Achia Saul remotis arbitris audierat, Jonathæ narrat. Cum autem nonniſi in alicuius criminis pœnam Deus oracula negaret, colloquitur cum filio de ſortitione, quam ad reum detegendum Achiæ commiſerat, in qua collocutione violati ieiunii culpam in Jonatha filio ſuo detegit.

Saul Reſponſa, ſceleris id quod in pœnam ſolet,
Negat roganti Numen. Ut decuit, procul
A turba, ad aurem voce ſubmiſſa id mihi
Retulit Sacerdos *Jon.* Illico a ſceleris reo
Pœnas repoſce; rurſus, ut ſpero, Dei
Solventur ora tacita. *Saul* Non veniæ locus
Patebit ullus: gratia eripiet neci
Nec ulla ſontem: Marte non partum decus,
Clarum vetuſta e ſtirpe non ductum genus,
Nec ſocii amoris fœdus, aut junctus meo
Gradu propinquo ſanguis. Et victor licet
Ad me redieris (quod malum Superi arceant)
Tuum ipſe cæderem enſe laurigerum caput.
Quidquid tuenda civium expoſcit ſalus,
Regem neceſſe eſt aggredi intrepide, aut pati.

Si

(a) *Diſcedit.*

Jon. Si crimen in me fuerit ; extemplo indue
Vultum severi judicis : nil pro mea
Loquar ipse causa ; fata sed patiar libens ,
Præstem ut pericla Patriæ *Saul* Hæc multo magis
Vivendo præstas . Jussus Antistes trahet
De more sortes ; sceleris admissi reum
Ut nosse detur : infit an nobis scelus ,
An populo , in orbem mota puerili manu
Decernet urna . *Jon.* Cæca judicium feret
Libido casus ? *Saul* Temperat sortes Deus ,
Urnamque versat . Hujus imperio fuit
Sortitò ad aram tractus ex geminis , sacrum (*a*)
Mactandus aries ante vestibulum . Comas (*b*)
Non aliter Aaron infula ornavit . Rapax (*c*)
Non aliter Achan captus . Æquavit pari
Divisâ numero fertilis pingui solo (*d*)
Promissa Patribus regio bissenas Tribus ,
Partemque schedulis quæque sortita est suam .
Ego ipse nuper frontis obtinui hac via (*e*)
Regale fertum . Crine sanguineo ut micans
Ferale sidus bella portendit , luem ,
Regumque funera , hisque se prodit notis
Cœlestis ira : Nuncia ut pacis fuit (*f*)
Complexa nubes iris ; humanas vices
Sic retegit homini sæpe per sortes Deus .
Jon. At quid futurum mente conjectas ? amor
Me tibi metuere cogit . Excutiam intimos
Quamvis recessus ; nil meum , ingenue loquor ,
Remordet animum . *Saul* Ne quis e populo cibis
Non abstinuerit, timeo . *Jon.* Sed quorsum hic timor ?
Saul An esse nos voti reos nescis ? Deo
Nonne ego spopondi jurejurando necem
Frangentis astrictam fidem ? *Jon.* Ah Rex ! Ah Parens !
Saul Eloquere fili *Jon.* Vix queo : voces dolor
Præcludit omnes . Ah . . Parens . *Saul* Quidnam accidit?
Mihi pande quidquid est mali . *Jon.* Mentem subit
Densa peragrantem nemora , deductum cavo
E robore apibus pervio , & virgæ , manu
Quam tunc gerebam , cuspidi adhærens parum
Libasse mellis . Potius incauta hæc manus
Riguisset utinam ! *Saul* Proh dolor . . Palmæ decus ,
Et breve parentis gaudium huc recidit ! Ferox

Sibi

(a) *Levit. c.16. 8.* (b) *Num. c.17. 2.* (c) *Jos. c.7. 16.* (d) *Num. c.26. 55.* (e) *1. Reg. c.10. 20.* (f) *Genes. c.9. 12.*

Sibi plaudat hoſtis : ultus eſt cladem ſatis . . .
Sic ergo victor , patris ad amplexus redis ?
Jon. Rediiſſe nollem . *Saul* Mene tutelam mei ,
Columenque regni aut perdere immiti nece ,
Sacra violare aut jura ? Quam duris premor
Utrinque fatis ; eſſe cum nequeam parens ,
Quin ſim ſacrilegus . Quam viam capiam ? mihi
Quidnam eſt agendum ? *Jon.* Quidnam ? id unum quod
Jubet , fideſque poſcit . Intrepidus meam (Deus
Decerne mortem . *Saul* Interpres en Superûm redit
Dejectus ore .

SCENA II.

Saul , Jonathas , Achias .

Sortitionis eventum Achias narrat : ſe reum eſſe Jonathas ſincere aperit , & ſe exhibet ad mortem paratiſſimum . Saul variis affectibus agitatur .

Saul QUid rei affers ? Tu ſiles ? (Reum
Compoſitus ad luctum haud ſilet vultus . *Jon.*
Proferre cur fruſtra times . *Ach.* Pueri manu
Tractum eſt ab urna Jonathæ nomen . *Jon.* Sum ego
Fatalis , ultro fateor , admiſſi reus .
Cum per vetuſtum conſitum arboribus nemus
Inſequerer hoſtes , mentis imperium manus
Prævertit audax , admovens ſummis labris
Guttas cadentes mellis , e quercus cavo
Quas fluere vidi cortice . *Saul.* Incertum viæ (a)
Dubiumque , rectis , quod tuum eſt , monitis rege .
Egone ſalutis vindici mortem inferam ,
Noſtra imminente colla qui eripuit jugo ?
Hæc nempe merces fuerit ? Hæc victor feret
A Rege dona ? (Quid loquor Regem) hæc parens
Soboli rependet ? Sed meæ ſtirpi mala ,
Regnoque gignam , ſi datam Superis fidem
Frangam . *Ach.* Itane fluctuas adhuc ? Leve ſit tibi
Perferre mortem filii , ut caveas ſcelus .
Hoc quippe ſolum nos Deo inviſos facit ,
Quo nil miſerius . Fortis ante oculos habe
Exemplar Abræ carum in Iſaci caput
Gladium rotantis . *Jon.* Labis Iſacus fuit
Expers ; ſed in me crimine haud caruit , Dei ,
Votique mens oblita , rectique immemor .

Ille

(a) *Alloquitur Achiam .*

Ille fuit hæres unicus patriæ domus :
Post me supererit bina tibi proles. *Saul* Meæ
In te posueram spem domus · Circa latus
Jam mihi videbar cernere incerto gradu
Nutare, avique petere certatim oscula
Parvos nepotes. Quidquod extulerat faces
Hymen jugales? Quos dabit questus tuis
Dicata thalamis sponsa! quam largo genas
Fletu rigabit! *Jon.* Desine incauta manu
Tentare acerbum vulnus.. Ultra quid moras
Hic traho. Relinque me mihi, expendam ut meæ
Momenta causæ: ipse actor, & judex ero. (*a*)
Saul O spes inanes! rebus o lætis fides
Habenda nunquam! *Ach.* Ferre quod Numen jubet,
Ferendo vince dignus Abrahamo nepos...
Sed en citato proxima e silva gradu
Jabel propinquat. Virginum illius latus
Glomerata circum turba victorem canit,
Nectitque lauros. *Saul* Gaudia excipiet dolor,
Hymnosque luctus. *Ach.* Interim occultum tege
Pectore sub imo vulnus. *Saul*. Ut potero, tegam,
Ach. Quidquid necesse est ferre, sapienter feras.

SCENA III.

Saul, Achias, Abel.

Jabel certior facta de proximo Jonathæ sponsi sui adventu, inopinato supervenit, de illo scitatur; sed cum de illo nihil rescire possit, & nulla ratione a Saule induci ad eò regrediendum, unde discesserat, loca magis seposita, & interiores silvæ recessus lustrare decernit, ut de sponso suo quærat.

Jab. UBinam moratur? Liceat optatum mei
Fructum laboris capere: Victoris statim
Spectare vultum liceat, ac meritis comas
Decorare lauris... Sed tibi quænam gravat
Caligo frontem? An sponsus inflicto jacet
Saucius ab ictu? vulneri medicas manus
Adhibere valeo. Nanque qui succus queat
Lenire vulnus, frutice quo sisti cruor:
Imo salubre quidquid occlusum latet
Corticibus, herbisque didici. Meque Advena

Ver-

(a) *Discedit.*

Verba aliqua docuit, mira queis virtus inest:
Proferre at ore hæc verba, relligio est mihi.
Saul Non hac eget ope: Sponsus est sospes; diu
Sit utinam! *Jab.* Adibo protinus celeri gradu.
At ubi reperiam? *Saul*. Gressum eo potius refer,
Unde extulisti. *Ach.* Militum statio male
Fida est puellis. *Jab.* Sisaram contra ducis (*a*)
Debbora obivit munus: infensi caput
Ductoris ære saucium infixit solo (*b*)
Magnanima Heberis Uxor: Assyrium aggredi
(*c*) Ausa est Tyrannum Judith, ac tuto pedem
Ferre inter hostes. Cur ego haud possim moras
Socia inter arma trahere? Fœmineam premam
Non ipsa frontem casside, aut inter duces
Crispabo tela. Mihi sat est bello virum
Excipere reducem, lora thoracis manu
Laxare trepida, pondere & galeæ caput
Relevare fessum. Hæc inter obtutu stupens
Defixa in uno, bella narrantis Viri
Pendebo ab ore. *Saul* Te nurum obsequio exhibe
Me dignam: amoris specimen hoc unum peto:
Fuge hinc, recede. *Jab.* Fugere me Sponsum jubes?
Sed ante quam pœnam irroges, crimen doce.
An illum amavi clanculum? Nostrum in sinum
Quæ prima Sponsus jacula torsit, sunt tuum
Secuta nutum. Cur modo infixa altius
Cordi, revellis spicula? His membris ferox
Animam revelle potius. *Saul* Agnosco tuos,
Proboque mores; sed quibus fatis premor,
Ignara nescis. Cupio, ut hæc nunquam scias.
Fuge hinc recede. *Jab.* Triste quid Sponso imminet?
Quæ fata narras? Sinite ut invisam prius. (*d*)
Ach. Mala qui futura præscit, est citius miser.
Jab. Qua premitur ille sortis ignara, hinc domum
Nunquam regrediar, funus immineat licet,
Jugurloque gladius instet. Inquiram nemus
In omne, mihique præferens tædas Amor
Latebras recludet. (*e*)

SCE-

(a) *Judic. c.4. 8.* (b) *Ibid. v.21.* (c) *Judit. c.13. Anachronismus.* (d) *Utrumque nempe Regem, & Anoistitem alloquitur.* (e) *Discedenti Jonathas occurrit.*

SCENA IV.

Saul, Jabel, Jonathas, Achias.

Jabel intuens Jonatham, qui seipsum tanquam reum, inermem, & vinculis astrictum, Excubiis in custodiam tradiderat, in querelas, & lacrymas erumpit: intrepidus tamen Jonathas coram Genitore suo se tamquam periurii reum, & morte plectendum sistit. Sententiæ executionem in diei occasum differri Jabel, a Saule precibus & gemitibus, Achia non renuente, impetrat.

Jab. SÆva quæ species! (*a*) meos
Quatit horror artus.. Non mihi hæc de te fore
Gaudia putabam.. Lauream hanc victor refers?
Siccine triumphas? *Jon.* Quis te in occursum impulit
Utrique sævum? Terge rorantes genas:
Me desine hoc fletu aggredi; in me ne labet
Antiqua virtus, neve te coram necem
Timere discam. *Saul* Publica o magno salus
Redimenda pretio! *Jab.* Capitis extremum subis
Itane periclum? Recidit huc amor, & fides?
Huc jura thalami? Moriar at tecum: teget
Communis urna, quos amor junxit. *Jon.* Novum
Cur vulnus addis? jura socialis tori
Haud exciderunt: pectore in nostro tui
Regnat amor; hunc tamen Dei, & Patriæ decet
Ab amore vinci. Numini solvam fidem:
Patriam tuebor morte. (*b*) Mi Genitor reum
Tibi sisto: causa hic cecidit: hunc ultor jube
Caput bipenni subdere. *Saul* Infaustæ piget
Esse administrum sortis, atque operam tuo
Præbere letho. *Jon.* Cæde stet nostra salus
Populi, Deoque stet fides. *Jab.* Itane id putas
Gratum esse Superis, monstra quod Lybiæ horreant?
Nonne ipse nostri providus Mundi Sator,
Ne terra inanis esset, ac tempus vorax
Destrueret animans omne, qoud cœlo subest;
Genus omne voluit sobole reparari nova:
Catulos amare docuit hinc ipsas tigres.
Odisse prolem dedecet silvæ feras,
Et deceat hominem? *Saul* Ut sospitet natos, parens

In

(a) *Hæret primum attonita; pauca deinde interrupte loquitur.* (b) *Genuflectit coram Saule.*

In omne per te ruere facrilegum nefas
Impune poterit? *Jab.* Cujus at fponfus luet
Pœnas, mihi fcelus retege, quod large fleam.
Cœleftis ira flectitur lacrymis. *Ach.* Reus
Voti, nec illius memor jejunia
Votiva fregit. *Saul* Pofcit hinc a me Deus
Juratus, illi capitis ut pœnam irrogem.
Jab. Culpa imputari legis oblito nequit.
Quæ funt cavenda, lex monet. Te olim audii (*a*)
Hæc me docentem. *Ach.* Non tamen cnlpa vacat
Ignava legum oblivio. Efto fed vacet;
Nifi vota folvat; fceleris an non fe alligat
Genitor facrilegus? Filiæ Jephte, dedit (*b*)
Vitio quis unquam ferre fe obviam Patri?
Tamen paterno cecidit enfe. *Jab.* Utinam comes
Sponfo adfuiffem, haud immemor vetitas dapes
Tetigiffet ore. *Jon.* Mortis optatæ moram
Abrumpe Genitor: tuque cur fævum in modum (*c*)
Mea corda lanias? Parce jam tandem queri.
Jab. Spatium diei unius a te Rex peto:
Non ante mortem fubeat, hefperias cadat
Quam fol in undas. *Saul* Interim tuta in loca
Sefe recipiet hoftis. *Jon.* Incaffum fugam
Victor fequetur. *Jab.* Ne hoc quidem fpatium breve
Dabitis amanti? Barbari hunc ferro finum
Confodite uterque. *Jon.* Si me amas; fine ut ftatim
Cum laude moriar. *Jab.* Ipfa ne moriar diu,
Permitte, fupplex pofco, ne te fic amem.
Tua te movere fata fi nequeunt; mea
Te fata moveant. *Ach.* Hanc brevem Rex annue
Moram roganti: quod citra culpam potes,
Concede Nurui fupplici. *Saul* Do, quod petit.
Jab. Adibo facrum limen, & multa prece.
Numen rogabo: fors meis faciles dabit
Gemitibus aures. (*d*) *Saul.* Flecte tu donis facris
Iram Tonantis. Suberat Ifacus puer
Jam pronus, enfi; miffus e cœlo Aliger
Cum repulit ictum. (*e*) *Ach.* Juffa ne remorer tua
En pergo ad aram. (*f*) *Saul* Nate me fequere: hunc diem
Forfan fupremum trahere nam tecum volo.

ACTUS

(a) *Vertit fermonem ad Achiam.* (b) *Judic. c.* 11. 39.
(c) *Vertit fermonem ad Jabin.* (d) *Difcedit.*
(e) *Genef. c.* 22. 11. (f) *Difcedit.*

ACTUS III.

SCENA I.

Jabel, Nachor.

Jabel speciem, quæ sibi oranti obiecta est, narrat. Nachor illam certiorem reddit de nuntiis missis, qui Asaph cum suis copiis revocent ad castra, eidemque suadet, ut precibus, & lacrymis Jonathæ constantiam labefactare conetur. Colloquentes in scenam prodeunt.

Jab. DUM fundo sacras supplici vultu preces,
Deique nomen invoco; irradiat statim,
Mentisque tenebras, semitam longam trahens,
Secat inopinus fulgor. Augusta en domus
Objicitur oculis, ære quam vestit rigens,
Utrinque pendens, ordine & pluteos suo
Replens supellex bellica. Hac Deus in domo,
Arcu remisso, tela suspendit; suas
Quoties obortis lacrymis deflet Genus
Mortale culpas. Principem Assyriæ brevi (a)
Ruitura in Urbem spicula, horrenti metu
Perculsa vidi, quæ manu armata flagris
Metanœa repulit: plurima & vidi in genus
Ruitura nostrum; legifer nisi Dux rogans, (b)
Palmasque tendens pronus, opposita prece
Contra obstitisset. Varia dum lustrans celer
Circum vagatur oculus huc, illuc; Saul
Mea subit ora, Jonathæ rursus Deo
Vovens cruentam mortem: at illico undique
Armata in illum militum irrumpit cohors,
Suumque sibi reddi Ducem poscit. Dein
Attonita, & anceps video properantem Senem,
Ridente vultu *Nach.* Quem senem? *Jab.* Ignoro. Coma
Candidior illi nivibus intactis erat;
Sed sparsa, & horrens: victa cingebat comas,
Sic juncta nexu divite, ut duplici fluens
Tractu, per humeros serperet: vultum tamen
Haud nosse licuit: nescio quid hominem supra,
Lateque fulgens oris insuetum jubar
Perstrinxit aciem. Multa conabar loqui,
Rogare multa; objecta cum rerum illico

 Spe-

(a) *Jon. c.3. 10.* (b) *Exod. c.17. 11., & c.32. 14.*

Species in auras abiit. Affulsit mihi
Tunc aliqua spes; nunc vero in antiquos metus
Nolens relabor: Tuque opem, siquam potes,
Affer timenti. *Nach.* Potius immisso Tonans
Me perimat igne, quam sinam regni unicum
Columen, decusque ruere. Quod potui hactenus,
Feci: sine mora nuntios misi, quibus
Revocatus Asaph aderit, & miles frequens
Ducem sequetur. Genitor haud ægre feret,
Se posse citra crimen incolumem sibi
Servare Natum: nanque servabit sibi
Non sponte, sed coactus, & nisi annuat
Operi voluntas; nullus est culpæ locus.
Jab. Saulis iram tibi cave. *Nach.* Metuit nihil
Mori paratus. *Jab.* Ipsa, quantum in me fuit,
Crines soluta, ac imbre lacrymarum madens
Vulgi furentis pectus incendi, ac decus
Oblita, in omnes inferens latebras gradus,
Stimulavi inertes. *Nach.* Flectere at Sponsum, hoc opus,
Hic labor. Amore laudis abreptus cupit,
Quod quisquis optat publicum regni bonum,
Timet, cavetque. Primus ipse sibi velit,
Quod volumus ipsi, ad irritum ne spes cadat
Opem ferentis. Deviam in syrtes ratem,
Impulsam ab Euris agere retrorsum studet
Frustra propinquo e litore accurrens statim,
Funemque tendens turba nautarum, nisi
Vela retro vertat, remige & multo ingruens
Repellat æquor. *Jab.* Arduum est sane, viro
Suadere vitæ prodigo, ut caveat sibi.
Nach. Lacrymis agendum est: pedibus injectæ manus,
Crebrique gemitus, ære quantumvis rigens
Pectus domabunt. Adde quod siquid rogas,
Jubes rogando: frontis augustæ decor
Vim precibus addit... Ecce festinus subit:
Perge obviam.



SCE-

SCENA II.

Jabel, Jonathas, Nachor.

Jonathas Sponsæ, & amico frustra suadet, ut discedant: occasione capta, ambo Jonatham, a proposito subeundi mortem amovere conantur.

Jon. IN vos siquid imperii est mihi;
Procul hinc abesse jubeo: sin minus, rogo.
Tu repete patrios, antequam plectar, lares; (a)
Tuque redi in hostes. (b) *Nach.* Siccine immeritum ab-
Qui tibi placere studui & obsequio, & fide? (jicis,
Jab. Ingrate, non tibi, ah piget, non hæc dedi
Exempla amoris: Siccine hanc reddis vicem,
Te nimium amanti? Summus audiat hæc Deus,
Sitque mihi testis: morte prohiberi haud queo:
Tuos sub oculos moriar: id menti sedet.
Nach. Sequar ipse vestros, ense confossus sinum,
Manes cruentos. *Jon.* Sponsa quisnam te furor
Agit impotentem? quisve te, Nachor? Satis
Nonne una mors est, ut luam admissum nefas?
Fata subiturum sinite me vita frui,
Vestroque memori in corde felices dies,
Culpaque vacuos trahere. *Jab.* Quid culpæ objicis
Inane nomen? Siquid in me unquam fuit
Dulce tibi, per spem prolis, & socios toros,
Mihi vive, si negas tibi: & jure id peto;
Nanque meus es: ne falle, quam pridem fidem
Ultro dedisti. Te per has lacrymas rogo,
(c) Tuisque supplex pedibus advolvor: fuge,
Quæ non mereris fata: in exitium trahis
Moriendo Sponsam, Patriam, Regnum, Patrem.
Hæc ipsa mortis pœna, quam demens cupis,
Hæc una crimen est tuum. *Jon.* Frustra rogas,
Optasque frustra, timidus ut caveam necem.
Cederet avitæ Stirpis in probrum hic timor
Vilis, pudendus, dedecens Abræ genus.
Incautus error impulit dextram, ut cibos
Ignara caperet, fateor, idque do libens,
Sum sceleris expers: quid tum? Et Isacus fuit.
Quidquod cavendum fuerat? est culpæ reus
Quicumque legum est immemor. Quod mens amat,

(a) *Ad Jabel.* (b) *Ad Nachor.* (c) *Genuflectit.*

Menti recurſat ſæpe . Sed noxa vacem ;
Tamen perire debeo ; ne ſim nocens .
Si me latenter ſubtraham gladio ; an ſuo
Non me implicabit ſcelere perjurus Parens ?
Nach. Perjurus ? huic ne crimini ſupereſt locus ,
Eſt ubi facultas nulla ſervandi fidem ?
Jon. Hæc ſi facultas deſit ob ſegnes moras ,
Aliave culpa , recidit in cauſam ſcelus .
Nach. In tua diſertus damna ſic precibus viam
Præcludis omnem ? Frange juvenilem impetum ,
Animoſque minue : ad fortia aut ſi te flagrans
Laudis amor urget ; perge , quo pronum eſt iter :
Inimica ferro terga fugientum preme ,
Reditumque prohibens , præripe hoſtiles plagas ,
Paterna profer regna trans celerem Tigrim ,
Syriæque fines . Te ſequar laudum comes :
Nullus malorum turbo , non lethi metus ,
Non efferati Martis indomitus furor
Sejunget ambos . Bella , Fortuna licet
Reflante , moveas , ac tibi excidium parent
Adverſa Fata , bellici hunc ſaltem feres
Fructum laboris : pecudis inſtar non dabis
Jugulum bipenni , & vulnere accepto ruens
Præceps in hoſtes , morte præclara diem
Claudes ſupremum . *Jon*. Ne Deo morem geram ,
Suadere fruſtra pergis . *Jab*. An Numen jubet ,
Immeritam ut ultro deſeras Sponſam ? Heu dolor !
Cuinam relinquar ? cogar infauſtos dies
Deſerta trahere , quæ prius fueram procis
Petita centum . Siqua mihi de te foret
Suſcepta proles , ora quæ ſaltem tua
Matri referret , parvulus ſi quis mihi
Luderet in aula Jonathas , poſſem meos
Decipere amores : Unde ſolamen petam,
Sed mihi ſupererit nil tui . . At fruſtra loquor .
Mors ſola ſupereſt : moriar , & ſi quod tori
Pignus parentis latitat occluſum ſinu
(Latere prudens ſuſpicor) mecum feram
Manes ſub imos , noſcet ubi primo ſuum
Patrem , an tyrannum neſcio . *Jon*. Pectus novis
Confodere telis deſine . Hircana haud genus
E tigre duxi : me tuus tangit dolor ,
Lacrymæque tangunt ; cordis hos motus tamen
Subigit honeſti immota vis . Jabel tuo
Id unum amori antefero : virtutem ſequi .

Ama-

Amare amantem perge : terrena procul
A labe flagret , inter æthereas faces ,
jugalis ardor purior . *Jab.* Sero velim
Me sic amari ! *Jon.* Timeo ne virtus diu
Concussa nutet . Abeo : te paucis volo ,
Amice Nachor . (a) *Jab.* Siccine oblitus mei ,
Suique , velox abiit ? O fallax amor !
An ille fletu tristis ingemuit meo ?
Ullane rigentes lacryma perfudit genas ,
Coacta saltem ? Mortis indecoris probrum
Præferre thalamis gestit , & plaudens sibi
Numerat triumphos inter orbatam viro
Deserere sponsam . . . At ille plus æquo obsequens ,
Paterna sequitur jussa , quodque instat malum ,
Nec sine pudore posse vitari putat ,
Cupientis instar fronte porrecta subit .
Culpa est Saulis tota : nanque iræ impotens ,
Non pensat æqua lance , quæ pœnam merent ,
Quæ facta veniam .

SCENA III.

Saul , Jabel .

Redarguitur Jabel à Saule , eo , quod suis questibus , dictisque populum commoverit . Hæc furore percita in Saulem acriter invehitur . Convenit inter ambos , de audienda Samuelis sententia .

Saul DEsine afflictum novis
Vexare curis , plebis & motus tuis
Ciere amaris questubus . Per te flagrat
Popularis ira . *Jab.* Flere desertos toros ,
Vix nupta cogor , nec queri licet ? O novum ,
Quoque usus ante est nemo , sævitiæ genus !
Quisnam tyrannus , quamlibet sævus , vetat ,
Dolere miseros ? Qua queror , causam amove ;
Aut patere questus : digna si fletu paras ;
Permitte fletum . *Saul* Non is ego sum , qui vetem
Lugere miseros : quin mihi impendens , meæ
Ferale sobolis funus , & gravius fleo ,
Et flere nunquam desinam . Id solum improbo ,
Vetoque , coram plebe te vanos metus ,
Ominaque dira , visaque , astrorum minas

(a) *Discedunt .*

Miscere lacrymis. Pelagus ut placidum jacet,
Nec resonat unda murmure immani, vadis
Refusa ab imis; Africo, atque Euro nisi
Commotus æther concitet fluctus: ita
Nil vulgus audet, genere nisi quisquam potens,
Ignava stimulet pectora. *Jab.* Haud stimulis eget
Amor, fidesque. Populus an tacitus ferat,
Primo juvente in flore, quem nuper sui,
Patriæque novit vindicem, ac spoliis gravem
Remeare vidit cæde ab hostili, caput
Subjicere gladio? id populus, id placide ferat,
Quod non libystis ursa, non maurus leo,
Rupes nec ipsa Caucasi horrentis queat,
Immota ferre. Disce pietatem a feris,
Scopulisque. *Saul* Regis disce tu potius, sequi
Verenda jussa: nam mihi imperii Deus
Tradidit habenas: flectere has dextra meum est.
Dum jura tradam, auctore me nemo nocens,
Erit, aut inultus, sanguine e nostro genus
Trahat ille quamvis. Juris in populum est rigor
Servandus æque: Quippe si frangat metum,
Facile obtinendæ blanda spes veniæ; statim
In omne crimen populus effuse ruet,
Indomitus ut equus, fræna cui laxes. Tamen
Patrio ab amore victus, incautæ darem
Aliquid juventæ, precibus & Sponsæ darem;
Votum sed obstat rite solvendum Deo.
Jab. Immane votum! Exequere cædem, quam cupis,
Sobolem trucida: hircana tibi plaudet suas
Feritate superans Gens tigres: plaudet Getes,
Scythesque profugus. At grave hoc non dum nefas
Judæa vidit: forsan opponam moras.
Ipsa, ipsa Sponsum pectore opposito tegens,
Remorabor ictus: imo, quo rapiet flagrans
Me vis amoris, mente vesana ruam.
Dux ego furentis plebis incolumem abstraham
Aut Sponsum ab aris, vota deludens tua:
Aut non minori victima augebo Sacrum.
Saul Quæ loqueris amens? Siccine audacter minis
Regem lacessis? *Jab.* Nil timeo: moriar libens;
Dum non inulta. *Saul* Audaciæ pœnas dares:
Imo dedisses; nisi quod, immodico æstuans
Amore peccas: causa, quæ movit, tuas
Excusat iras. Sponsum amas, sibi qui meum
Devinxit animum, carior regno mihi.

Vitaque .. Vestram Cælites posco fidem :
Natum tueri liceat, aut propere sequi
Sedes ad imas ! Lucis invisæ moras
Pertæsus, illum sive sol mergat diem,
Sive diem ab undis exerat, frustra gemens
Requiram ubique. *Jab.* Cura te Nati premit,
Et lentus hæres? Quære qua possis via
Eripere letho : decuit absentem Augurem
Consulere primum : mitte nunc, dicto ocius,
Fatidica vatis monita scitatum. *Saul* Loqui
Sed renuet. *Jab.* Incassum id times. Faustum exitum
Præsagit animus. Tota cum nuper Deo,
Supplex vacarem, se mihi læta obtulit
Imago rerum, quæ meum in spem non levem
Erexit animum. *Saul* Hæc spectra non raro sibi
Mens ægra fingit. *Jab.* Quidquid affulget spei,
Inane reputas. Macte. (a) Nil pensi tuum
Genus, decusque Patriæ, & clades habe,
Regno imminentes. *Saul* Quid moror? vocum sono,
Mulieris est pugnare. Samuelis statim
Mittam rogatum consilia. Faxit Deus,
Ne res ibidem sit loci. (b) *Jab.* Mea non adhuc
Spes abiit. In rei exitum insistam vigil.

ACTUS IV.

SCENA I.

Saul, Achias.

Refert Achias Samuelis responsum hoc : nempe votum, nulla interposita mora, solvendum esse : quo audito, Saul ad mortem Jonathæ accelerandam, strenue se comparat.

Ach. INfausta refero : jam spei Samuel locum
Eripuit omnem, ut liberes pactam fidem,
Jubet; diei quin brevem reprobans moram,
Promissa mandat, citius ut solvas. Dedit
Hæc jussa postquam; pallor infecit genas,
Stetere vittæ, membraque invasit tremor :
Immotus oculis cœpit impatiens Dei,
Et huc, & illuc ferre properanter gradus,
Agitante venas Numine : incluso anxium

 Pe-

(a) *Ironice*. (b) *Discedit*.

Pectus fremebat murmure. Hos tantum sonos
Audire licuit. Numen, o Numen libens
Mandata peragam. *Saul* Plura scitari piget.
Agedum, nigrante fronde, feralem instrue
Festinus aram: quodque te primum decet,
Mortis propinquæ Jonatham actutum admone.
Quod si laboret Natus injusso metu,
Animosque minuat propius impendens malum;
Animum labantem vocis imperio rege.
Ach. Inferre sed quis audeat vulnus? manus
Sueta quamvis, muneri deerit suo,
Strictoque ferro, hærebit: augustus decor
Flectere Scytharum pectus, & rigidas queat
Mollire rupes. *Saul* Ipse votivum caput
Superis litabo, gladius hanc animam prius
Sed fodiet.. Ultra quid moror? Certos habent
Adversa fines; hos tamen dubius timor
Protendit ultra, quodque perferre est grave,
Gravius timetur. Jussa ne differ, manum
Operi celeriter admove: idque etiam stude,
Nequid cruenti Sponsa conetur furens.

SCENA II.

Saul.

Regiam suam conditionem deplorat, deinde ad se veluti rediens, filii mortem citissime exequi decernit.

Conditio Regum misera! gemmatas domos,
Celsasque in ædes insilit tacito gradu,
Noctu, diuque densa curarum phalanx.
Non fessa mulcet lumina hic placidus sopor;
Galeata quamvis limen insideat cohors,
Foresque servet: sæpe mortiferas dapes
Servi ministrant, conscium & pallet doli,
Quo bibitur aurum. Quæ tamen mihi sunt minus
Dolenda: torquent levius ærumnæ, solet
Quas ferre quisque. Majus a regno malum
Patior, meumque: nanque, me miserum! parens
Crudelis esse cogor, impius in Deum
Ne sim. Repetere nemora, & abjectos lares
Liceret utinam! Se obviam Interpres Dei (*a*)
Nunquam tulisset, arva cum circum vagans,

Pe-

(a) *Lib.* 1. *Reg. c.* 9. 19., & *c.* 10. 1.

Pecudes paternas quærerem : nunquam ſacra
Sparſiſſet olea mihi comam . . . At quænam loquor
Veſanus ? Hominum fata qui libras Deus
Ponderibus æquis , oro , da veniam . Tuum eſt
Juſſa dare : ſervorum ſequi . Exemplo præeſt ,
Quem fama celebrat primus Iſacidum Parens . . .
Jam ſe recepit animus . Audacter tua
Properabo Fili funera : aliorſum trahet
Vis nulla mentem . Ambire me precibus Nurus
Si ſtudeat iterum ; rigidus iteratas preces ,
Lacrymaſque ſpernam .

SCENA III.

Saul , Nachor .

Nachor Sauli nuntiat copiarum Jonathæ defectionem , & reditum . Suo deinde , & militum nomine , ſolemniter iurat ſe nunquam Jonathæ defenſionem omiſſurum . Saul conſilium capit utendi veteranis copiis , in ſuæ auctoritatis præſidium . Demum petita brevi temporis mora ad deliberandum , differt aliquantum reſponſum, ad Jonathæ milites deferendum .

Nach. SOlus advolvar tuis (*a*)
Licet ipſe genibus ; Jonathæ mecum puta
Tuis , cohortes genibus advolvi . Omnium
Vox una poſcit , non ut egregium Ducem
Excipiat ulnis Patria , lituorum ſonos ,
Populique plauſus inter , aut curru arduus
Ut ſubeat arcus nomine inſcriptos ſuo ,
Preſſaque trophæis plauſtra , ſtridenti rotâ
Currum ſequantur : non ut imperii graves ,
Tecum ille habenas flectat , & ſceptrum gerat
Victrice dextra ; verum ut ætherea frui
Patiaris aura , nec tuæ Stirpis decus ,
Regnique grande columen everſum velis .
Saul Id nempe poſcunt : ne fidem ſervem Deo .
Sol ante medius repetet eoas plagas :
Jordanis ante refluet ad fontes : Thetis
Perfundet Arctos , ſcelere quam diro incitem
Tonantis iram . Noſtra , quæ ſit mens , habes .
Diſcede . *Nach.* Supplex itero communes preces .
Saul Adhuc moraris ? *Nach.* Res , ut eſt , demum loquar .

(a) *Genuflectit* .

Vix pepulit aurem Jonathæ fatum imminens ;
Non ſic, arundo cum celer liquidum ſecat
Aera, præitque ſonitus, hic, illic prius
Sitiente roſtro pronæ ad irriguas aquas,
Coactæ in agmen ſubitò, & oblitæ ſitis,
Trepidante penna, ruſticæ culmen domus
Repetunt columbæ, ut retro, denſatis frequens
Acies maniplis, immemor prædæ ruit
In caſtra præceps, jamque adeſt. Petit hæc ſuum
Furibunda ſibi reddi Ducem ; excidium ultimum
Minitatur aulæ, ſi negas. *Saul* Itane impudens ? (*a*)
An vera narras ? .. Ante debueras vigil
Injicere fræna .. Sed brevi pœnas luent ...
Nil eſt morandum. Nuntius celeres ferat
Greſſus ad Aſaph, qui ſtatim huc velox agat
Reliquas cohortes. Cognita illarum fide
Utar : labores ferre militiæ diu
Mecum ſuetæ, reprimere audaces ſcient
Motus juventæ. Tuque, quod caput eſt, dolis,
Aſtuque primos detine incurſus. Palam
Inſtabile ſparge in vulgus eſſe vix reo
Quidquam timendum ; judicis partes agit
Cum Genitor ipſe in filium, & cauſam eloquens
Amor tuetur. Falſa, quas movit timor,
Spes frænet iras. *Nach.* Mene ſimulate loqui,
Fraudeſque ſtruere ? Jonathas, per quem ſtetit
Prona in ruinam patria libertas, tua
Stetere regna, me auſpice, indecori cadat
Letho peremptus ? .. Verba ſed vanus pudor
Quid cohibet ultra ? Precor, ut hæc placide audias.
Primus ego teſtor, lapide qui in gemino dedit (*b*)
Inſculpta Moſi jura : qui forti manu (*c*)
Niliaca fregit vincla : qui ſolis rotam
Protrahere magni Joſuæ ad nutum, diem, (*d*)
Curſumque juſſit ſiſtere æthereas faces :
Nunquam erit, ut heros, inclytos ſuperans Duces,
Vix cui futura ſæcla progignant parem,
Cadat inhonoro vulnere, & jugulum offerat,
Bidentis inſtar. Verba in hæc eadem cohors,
Omniſque jurat miles. *Saul* Hanc, Nachor, Deo,
Re-

(a) *Interciſis verbis incompoſite loquitur, ut fit in vehementi animi perturbatione.*

(b) *Exod. c.*31. 18.

(c) *C.*14. 30.

(d) *Joſuæ c.*10. 13.

Regique servas hanc fidem? ultricem time
Dextram Tonantis, cujus arbitrio hoc gero
Regale sceptrum: tela jam forsan parat
Festinus ultor. Nosce crimen, dum vacat,
Pudeatque cœpti, teque ad obsequium refer.
Nach. Nunquam obsecutum me magis Regi puto,
Quam cum, tuendo laude præstantem virum,
Qui nos tuetur, videor heroas, vetus
Quos coluit ætas, quosque posteritas canit,
Revocare in auras. Ense quot victor tibi
Acquiret ille sceptra, quot bello invias
Penetrabit arces, quotque pugnaci manu
Trophæa referet, spoliet aut palmis juga
Fertilis Idumæ: redeat aut Syriæ potens,
Arabumque domitor; me tot officiis tibi
Merito putabis esse devinctum: & brevi
Spero id futurum. *Saul.* [Tegere nunc clausa in sinu
Consilia præstat.] *Nach.* Prome tu, Rex, interim,
Quæ dicta referam. *Saul* Da mihi, ut paulum meus
Sese recipiat animus, haud longa est mora,
Responsa tradam. At prævenit jussum redux
Asaph! quid affert?


SCENA IV.

Saul, Asaph, Nachor.

Nuntiat Asaph militum veteranorum similem defectionem, præcipitemque in castra reditum, ac solenne iuramentum in favorem Jonathæ, quod iuramentum Asaph ipse coram Saule confirmat, quamobrem Saul acriter in ipsum invehitur.

As. Siccine oblitus tui,
Moras inertes ducis? effusæ huc tuæ
Ruunt phalanges, te duce assuetæ gradum
Medios in hostes, sævior ubi Mars furit,
Inferre celeres, fronte & impavida aggredi
Quidquid timetur: voce sublata petunt
Ut vivat Heros sospes, & lauro comas
Cinctus triumphet. *Saul* Militum in me sic flagrat
Lectum omne robur? Dexteræ o pondus meæ
Inane sceptrum! *As.* Regni amor, subdens faces
Accendit iras: plusque communi bono
Prosunt furentes, jussa properanter tua

Quam si facessant. Haud secus ripas super
Rapide volutus agmine undarum impetit,
Tegitque Nilus arva, non cladem tamen
Segetibus infert; imo pluvialis Noti,
Hyadumque pensans damna, frugiferas alit,
Ditatque glebas. *Saul.* Plebis infidæ scelus
Itane tueris? *As.* Ecquis id crimen putet,
Eripere letho strenuum bello Ducem,
Qui nos pudendo nuper eripuit jugo?
Nec votum inane obtende: nam quid si tuum
Delere regnum, civium & dira cibos
Inficere tabe, involuere excisas domos,
Populosque eadem clade vovisses, foret
Servanda num Cælo fides? multo invehet
Graviora damna, Jonathæ exitio, fides
Servata. *Saul.* Tune almus quod Antistes probat,
Diuque tacitus quod probat Samuel, negas
Dignum esse laude? *Nach.* Vitia, quæ speciem exhibeat
Virtutis, animum sæpe decipiunt. *As.* suos
Transgressa fines, transit in vanum metum,
Religio. Nostri at muneris non est, modum
Statuere honesti. Moneo te solum, ut tibi,
Regnoque caveas. Nostra, per quidquid colit
Religio verax, tuamet id nuper phalanx
Juravit, haud unquam fore, ut magnos Avos
Qui laude superat, Gentis & nostræ decus,
Famamque renovat, subeat indecorem necem.
Te coram id ipsum juro. *Saul.* Proh fallax caput,
Dirum, scelestum: morte nunc lueres scelus;
At, quas mereris impedit pœnas tuum,
Scelerate, crimen, quo fit, ut juris rigor
Obstrepat inermis. Adde quod gravior premit
Me cura . . . sed quo consilia vertam? ratis
Ut hæret anceps inter irati maris
Fluctus tumentes, subita cui rapuit diem
Nox fœta nimbis; inter incertas vices
Sic hæret animus.



SCE-

SCENA IV.

Saul, Jonathas, Asaph, Nachor.

Ionathas ironice a Saule obiurgatur, occasione accepta ab ambiguis aliquot illius verbis. Verum ille innocentiam facto ipso comprobat, & cum Saule ad militares tumultus componendos pergit.

Ion. LIceat hos demum, Parens,
Exuere nexus: liceat optata frui
Meta laborum. *Saul.* Quod cupis, per me potes.
Exue catenas: murice, atque auro nitens (*a*)
Tibi chlamys humeros ornet, & laurus comas:
Motisque signis, bina se circa latus
Agglomeret acies: victor auratas rotas
Conscende; at idem currus innexum trahet
Patrium cadaver. Vota, quæ vovi Deo,
Ut potero, solvam: victima, in sobolis locum
Suffecta cædar. *Jon.* verba quorsum hæc? Num putas
Aut me jubente, aut conscio has turbas dari?
Qui coram adestis, vos palam testes voco (*b*)
Militibus auctor an fui, ut celeri fuga
Gressum referrent? auctor an sum, qui flagrat
Popularis æstus *Nach.* Labe, quæ aspergi potest,
Nec summa virtus, nec tua est. *As.* Se se altius
Illa tulit, umbras audeat, quam quo suas
Proiicere livor. Sed age servorum accipe (*c*)
Obsequia. *Nach.* veteri amore devinctus tibi,
Probrosa vincula ipse divellam prior.
As. Queis premitur anceps Patriæ, & regni salus,
Laxabo nodos. *Jon.* vana quæ spes vos tenet?
Removete gressus. Solvet hos laqueos, meum
Qui mucro jugulum fodiet: in pretio est mori:
Non si Canopus fruge multiplici ferax,
Arente cælo, dives & Babylon opum,
Regumque luxu, latera vel plumis tegens
Opulentus Indus, sceptra mihi sponte offerant,
Nostrumque subeant, fata modo renuam, jugum;
Mori recusem. *Saul.* Nate, da veniam, rogo:
Mens capta vocum est cortice. Amplexus cape

Ite-

(a) *Ironice.*
(b) *Vertit sermonem ad Nachòr, & Asaph præsentes.*
(c) *Accedunt ut vincula solvant.*

Iterum paternos: Nube discussa micat
Tua, Nate, virtus pulchrior. Sed, proh dolor!
Hæc ipsa nunquam degener virtus mei est
Pars magna luctus. Fateor, & fari pudet,
Incerta mihi mens fluctuat: parumque abest;
Quin cupiam, ut armis miles obiiciat moras:
Tu summe olympi Rector hæc vota impedi,
Pudenda vota: munere acceptas tuo
Vires resumat stabilis, & nulla fides
Aspersa labe. *Jon.* Genitor alternos, cave;
Trepidosque fluctus mentis, ingens ne decus,
Pretiumque perdas operis, aliqua, quod, sui
Si parte peccat, reprobat inspiciens Deus
Imos recessus cordis, & dona æstimans;
Sed pluris animum dantis. *Saul.* At quæ sit, vides;
Conditio rerum: nam utraque in Regem cohors
Furore rapitur: utraque intentat minas. (vola
Quid ergo peragam? *Jon.* Quid? Age, nunc mecum ad-
Medias in acies: non meas voces ferent,
Non exprobantis ora, quin ponat furor,
Inque tua redeant jura: me coram pudor
Compescet iras, telaque abripiet manu.
As. Quo ruitis ambo? *Jon.* Quo vocant pietas, honor.
Saul. Quo me Tonantis jussa. *Nach.* Sic properas tui,
Regnique cladem? *As.* Patriam in præceps trahis.
Jon. Suprema verba excipite: remorari audeat
Mea quisquis effrons fata, vel vi, vel dolo,
Ut dirus hostis Patriæ, & Regis luet
Pœnas pudenda morte, & omnes Posteros
Perenne aviti sceleris inficiet probrum.



ACTUS V.

SCENA I.

Saul, Jonathas.

Post compositum militarem tumultum, Ionathas ad promptam voti solutionem Genitorem exstimulat, ne rursus turbae excitentur. Saul variis affectibus agitatur.

Jon. TAndem resedit militum insanus furor;
Sed nisi alimenta subtrahas; iterum flagrans
Ardescet ira. Quandiu vita fruar,
Meæ salutis avida spes nunquam cadet,
Subibit animos rursus, ac turbas dabit.
Aggredere citius ergo, quod facto est opus.
Saul. Mecum ipse pugno: nunc tuam mortem cupit,
Nunc refugit animus: nunc Patris vultum exuo,
Nunc rursus induo. *Jon.* Cumulat laudem tibi
Interior animi pugna: sed sensus regat,
Cogatque ratio, fræna virtutis pati...
Lugubri amictu squalida en propere mea (*a*)
Subit ora Sponsa. Pectori vires novas
Præbete Superi.

SCENA II.

Saul, Jabel, Jonathas.

Jabel lugubri veste induta Regem orat, ut sibi eandem, cum suo Sponso mortem subire concedat: quod cum non exoret, in varios, vehementissimosque affectus, amoris sui coniugalis impetu rapitur.

Jab FUnebri hoc cultu, ut decet
Afflictam, egenam, jamque carituram viro,
Ad vos regredior; vestra me coram ut sibi
Sævitia plaudat, morte quin imo mea
Cumulet triumphum. Jussa lictoris manus
Sponsi tepentem cæde mucronem, in sinum
Meum adigat: id supplex rogo. Constans amor
Nexu jugali corda quì junxit, pari
Conjungat umbras fœdere. *Saul.* An me sic putas

Avi-

(a) *Vertit oculos ad Sponsam venientem.*

Avidum cruoris , proluere diram ſitim
Ut immerentis ſanguine innocuo velim ?
Jon. Me luere ſolum crimen admiſſum decet ,
Qui vota fregi ſolus . *Jab.* Ingratum caput !
Vixiſſe mecum renuis , & mecum mori .
Tu Rex inani fraude barbariem tegis .
Mortem tyranni inferre felici ſolent ,
Negare miſeris . Do tamen : pœnam irroges
Illam merenti . Pectore in noſtro reus
Vivit : cruentum dirige huc telum : ſatis
Mors una crimen æquat ; hac Sponſus via
Nec erit inultus ; nec decus regni , ac tuæ
Tutamen evertes domus . *Jon.* In te innocens
Cur plectar in te ? Vive tu potius dies
Meos , tuoſque , vivat & tecum mei
Pars melior . Ultra ſerimus at fruſtra moras .
Jam fluere ſanguis ardet , atque ultro emicat .
Jab. Ut me relinquas , funus acceleras tuum .
At ubi relinques ? Inter hoſtiles dolos :
Imo ruinas inter , ac Patriæ rogos .
Vix fama mortis nuntia attinget , tibi
Infenſa caſtra , rurſus armatus furor ,
Torrentis inſtar , aggere abrupto , ingruet
Timidas in urbes , noſque in exitium trahet .
Captiva ducar forſan ; & pœnas diu
A me repoſcet , cladis illatæ memor
Crudelis hoſtis . Quod meum ob crimen mala
Tot ferre cogor ? niſi quod , ut vidi , ſtatim
Te cupide amavi : quod fidem obſtrinxi ; comes
Quod te ſecuta . . . *Jon.* Deſine immeritum tuis
Cruciare dictis . *Jab.* Quam cupio , linguæ modum
Mors una ſtatuet : quandiu vivam , querar :
Neque hæc querelis nemora , vel tantum lares
Implebo patrios : eſſe te infidum ſciet
Quæcunque tellus axe ſub gelido jacet ,
Quæcunque , nimium ſolis admota face ,
Rimoſa ſqualet ; quin vel extremum ſciet
Pollentis Aſiæ litus . *Saul.* Aſſueſce æquius
Adverſa ferre . Vulnus eſt etiam mihi
Grave . . . ſed ferendum . *Jon.* Abſcede : quid ſponſum (irritis
Precibus fatigas ? *Jab.* Itane diſceſſum jubes ,
Ingrate , vecors ? ſed jubes fruſtra . Tuum
Intrepida cernam funus : indecori haud genæ
Fletu madebunt . Solve , quas pœnas meres :
Tuque exige o Rex . Alia ſi deſit , meam

Im-

Impende dextram. (a) Ipsa, ipsa luctantem e sinu
Animam revellens, cordis ad latebras viam,
Ferro recludam: vulnere & crebro petam,
Fodiamque sævum cor, quod ipsæ vel tigres
Suum esse nolint... (b) Quid loquor demens? manus,
Animusque torpet æger: odisse ut velim,
Nequeo, & amare cogor... Ah saltem breve
Permitte spatium, donec inopinum malum
Mansuescat ævo. Non ut admittas nefas, (c)
Superosque fallas, non mihi ut serves tori
Jugale fœdus postulo: exiguam moram
Concede miseræ. Et renuis? *Jon.* Incassum meum,
Tuumque vulnus asperas. *Saul.* Menti id sedet,
Parere Superis, membra nec somno prius
Reficere, vota quam Deo solvam. *Jab.* O feris,
Monstrisque uterque sævior: non vos amor,
Non ulla pietas flectit. Heu! furiis agor,
Spretoque amore sævit incensus furor.
Mater utinam essem! prolis, armata manu
Puerile jugulum foderem, & amborum furens
Avi, Patrisque ante ora, discerpta illico
Cruenta jacerem membra. Quas potero tamen,
Pœnas reposcam: pectore in nostro tuam
Petam ense stricto imaginem: hæc sola ultio,
Hæc mihi relicta est. Fata post semper comes
Umbra adero: te per nemora, & infernos specus
præibo frontem obversa, laniatum & sinum
Pandam, reducta veste, nec quæram moras:
Statim tua sequar funera. (d) *Jon.* In se ne manus
Irata vertat, timeo. *Saul.* Non abs re times.
Jon. Sed ecce Nachor. Forsan, exemplo suo
Furentis æstus leniet.



SCE-

(a) *Vertit sermonem ad Saulem.*
(b) *In Jabel, quod amantium est, ira, & amor vices alternant.*
(c) *Iterum Jonatham alloquitur.*
(d) *Discedit.*

SCENA III.

Saul, Jonathas, Nachor, Asaph.

Jonathas committit Nachor, ut Sponsam furentem, ab inferendo sibi manus violentas, cohibeat: qua capta occasione Nachor, & Asaph conantur, iterum Ionatham à moriendi proposito removere.

Jon. NAchor tuæ
Committo curæ, Sponsam ut impedias, sibi
Ne, quod metuimus, inferat vulnus, furens.
Nanah. Prohibere sed quis morte furibundam queat?
Mors est ubique prona. *Jon.* Tu cordis stude
Mulcere fluctus. Servet æternam meis
Fidem cineribus: nec mihi invideat suos,
Moriendo fletus. *Saul.* Judith imitatrix colat
Viduos penates, ubi vacans Superis dies
Sine labe ducat: *As.* Capere consilium nequit
Irata mulier. *Nach.* Aliter, ac vocum sono
Res est agenda. Quam mori cogis, mea (a)
Retrahere nequeunt verba. Sed, nisi te salus
Peritura Sponsæ tangit; incursu hostium
Delenda Patria, te brevi Isacidum decus
Lapsurum, & ipse, qui jubet mortem, Parens
Barbarica tardo vincla tracturus pede,
Teque Sacra Regni rursus hostili manu
Violanda tangant: pollui incesto, prope
Dagonis aram, thure rursum Fœderis
Patieris Arcam? Tacitus hæc tecum exige.
Jon. Mecum, quid agere deceat, exegi diu.
As. Animum ferocem, & robur insuetum tibi
Fudit per artus Numen, ut regnum labans
Tuearis armis, non ut occumbas iners,
Pecudumque more. *Nach.* Non adhuc parta est quies,
Pendentque belli fata, & ancipiti in statu,
Tua cœpta acerbo funere abrumpi sines?
Quid si tubarum funebri admonitus sono
In bella redeat hostis, & viduos Duce,
Trepidosque ad arma cogat? *Saul.* Haud nostra indiget
Numen ope. *As.* Raro ferre sed inultum solet,
Sua dona sperni. Tutor o Patriæ, o Parens,
Populique Custos, supplicum iteratæ preces

Tua

(a) *Alloquitur Jonatham.*

Tua corda flectant. *Nach.* Si quod, humano eſt ſcelus,
Sanguine piandum; ſacrifica in noſtrum caput
Ruat bipennis: victimæ unius loco
Gemina litetur. *Jon.* Ambo properate hinc gradum:
Hinc properet oſor decoris eſt quisquis mei,
Veræque laudis. Mene, quod Numen jubet
Lethum refugere? *Nach.* Siccine inviſos Deo
Nos eſſe reputas, ut velit regni Auſpicem
Sterni cruenta cæde? *Jon.* Ne plura: illico
Removete greſſus: tuque me nuper Ducem
Belli ſecutus, diſce pietatem in Deum,
Rectumque colere.

SCENA IV.

Saul., Jonathas, Achias.

Nuntiat Achias novum militum tumultum. Saul in animi ſui propoſito ſe magis obfirmat, & gladio diſtricto iterare iuramentum aggreditur.

Saul. HUc properat Antiſtes. Sciet
Hic melius ægrum pectus, & Sponſæ grave
Mulcere vulnus. *Jon.* Ore turbato notas
Præfert timoris. Quid rei eſt? *Saul.* Quiſnam novus,
Quis caſus inſtat? *Ach.* Miles irarum impotens,
Fremit arma rurſum, Jonatham ad mortem rapi
Se nolle clamans, miſſiles dextrâ faces,
Ac tela jactat. Lacrymis vultum irrigans,
Incompta crines Sponſa furibundis præit,
Et acuit iras. *Saul.* Quas in ambages miſer
Revolvor! inſtat certus hinc, illinc dolor:
Natus perinde vivat, aut pereat, mihi eſt
Materia luctus. At quid? idcirco malis
Victus fatiſcam? nil minus: contra gradum
Firmabo. Pereant ſceptra: ſervetur fides.
Offerre populo nì palam liceat Sacrum;
Saltem reducto tacitus in monte offeram,
(*a*) Sectator Abræ. Gentis o noſtræ Sator, (*b*)
Quem dextra gladium ſtringit, hunc Nati, prius,
Quam mihi dolenda cæde conſpergat cruor,
Nunquam recondam. Vota propoſiti tenax,
Quæ nuncupavi, rurſus....

SCE-

(a) *Geneſ.c.22. 5.* (b) *Gladium diſtringit.*

SCENA V.

Saul, Jonathas, Achias, Nachor, Asaph.

Asaph, & Nachor, armatis militibus circumobsessa regali aula, audacter petunt Jonathæ liberationem, quam a Saule, ad id coacto obtinent.

Jon. (a) AH Genitor cave:
Et hinc, & illinc militum irrumpit cohors.
Saul. Quo me recipiam? *Ach.* Miles occludit frequens
Omnes recessus. *Jon.* Ipse recludam viam. (b)
Quo vos furor agit? jacula, & hæc, quorsum manus
Incauta gestat? Mene, Patremne impetunt?
Nach. Certant utrique ferre opem invicti Duces,
Agmenque totum. Jonathas mecum illico
Redeat in hostes. Tuque Rex voti reus
Armis coactus, quod citra culpam potes,
A cæde Sobolis abstine: id petimus. *As.* Vetus
Amor in utrumque, cura communis boni
Incendit iras: tegitur obsequium, & fides,
Terroris umbra. *Saul.* Nec pudet Regi metum
Inferre? *Ach.* Mordet nec animum immane hoc scelus?
Jon. Pœnæ imminentis terreat saltem metus.
As. Frustra est renuere: verba quod nequeunt, statim
Arma obtinebunt. *Nach.* Perge jam, quo belliger
Te stimulat ardor, dubia quo regni salus:
En clypeum, & ensem. (c). *Jon.* Incerta mens hæret. Sacer
Minister ignarum doce .... Genitor jube.
Ach. Rem potrahi est opus. *Saul.* Datam exsolvam fidem,
Statim ac licuerit. Cogor: id vero mihi
Nunc est dolendi causa, quod cogi haud piget,
Quantum deceret ... Patris amplexus cape:
Discede Fili. *Jon.* Pergo: mihi sæva invidet
Fortuna mortem, quam diu caneret memor
Ætas Nepotum. Sed brevi referam gradum;
Nisi cæsus ante gladio ab hostili cadam.
Saul. Vos perduelles in Deum, & Regem cito (d)
Pœnas luetis sceleris.

SCE-

(a) *Prius aditus omnes Aulæ circumspectat.*
(b) *Alloquitur milites.* (c) *Porrigit arma.*
(d) *Alloquitur milites.*

SCENA VI.

Samuel, Saul, Jonathas, Achias.

Jonathæ discedenti occurrit Samuel, qui illius discessum remoratur, Deumque placatum esse Sauli nuntiat.

Sam. ID fieri vetat
Deus ore nostro. Pulsus ignavo metu
Quod thura flammis dederis, & pecudum cruor
Imbuerit aras ante septenos dies,
Vertit triumphum jam fere in luctum, ut timor
Esset timoris pœna, supplicio & pari,
Par vindicaret crimen. At clemens tibi
Nunc ille parcit, ad quod alienæ preces,
Fletusque Jabel profuit multum. Tuo
Doctus periclo, quid tua intersit vide,
Obtemperare Numini. Regnans, fidem
Servet Tonanti, si fidem a populo exigit,
Servare quam si renuat aliis imperans;
Alienæ in ipsum tacita perfidiæ lues
Serpet, parisque sceleris, alienum scelus
Pœnas reposcet. Hæc memor teneas.. Sed heu
Nescio quid atrum retego latebroso in sinu
Clausum, futuri. (a) *Saul.* Proximum o Superis caput,
Fatidice Vates, jussa quod tua fregerim,
Errasse fateor. *Sam.* Criminis delet notam
Odisse crimen: corde vix puro sua
Quis scelera reprobat, illico amplexus parans
Divina Bonitas, vindicem exarmat manum:
Jon. Vitæ receptum munus impendam Deo,
Noxamque lacrymis eluam. *Sam.* A noxa vacat
Legis vetantis, qui citra est culpam, immemor:
Hanc pone curam. Sed novis veteres stude
Cumulare laudes. Nostra, cum res id petet,
Exempla sequere: a Vate præreptus neci,
Vatem tuere (b) Hic arma sociabit lyræ,
Bellator ingens: referet immanis caput
Sectum Gigantis: spolia cæsorum hostium
Centena victor referet: huic reduci canent
Io triumphe, Virginum hinc illinc chori,

Re-

(a) *Alludit ad aliam similem trangressionem Saulis, quæ habetur lib.* 1. *Reg. c.* 14. 27. *& seq.*

(b) *Jonathas defensor Davidis lib.* 1. *Reg. c.* 18. *& seq.*

Resonaque ferient nablia. Hæc erit mali,
Hec prima labes. promptus occurre huic malo.
Jon. Parebo monitis. At ubi sponsa? nisi hæc mei
Pars magna fuerit gaudii; nunquam sàtis
Gaudebo. *Ach.* Celerem nuntium mitte *Sam.* Has vices,
Veterisque reditum sortis a me jam antea
Cognovit. Aderat nanque, cum gressum intuli
Media inter arma, dexteræ & nutu jubens
Turbam silere, ter, quater vocem extuli:
Signa retro ferte: Jonathæ in tuto est salus.
Vix ea. Theatri ut ductilis scena exhibet
Nunc nemoris umbras, mole nunc versa rotis,
Tenuem secuta sibilum species subit
Ridentis aulæ; sic rigens Martis statim
Recessit horror: alma pax rediit: frequens
Assonuit echo plausibus... Sponsa en adest.

SCENA VII.

Saul, Jabel, Jonathas, Achias, Samuel, Nachor, Asaph.

Sponsam, & qui illam comitantur Nachor, & Asaph gaudent de Jonathæ liberatione. Solenne Sacrum indicitur. Prohibet Samuel, ne Jonathas fugientes hostes insectetur. Demum plura vaticinatur.

Jab. TEn' video Sponse? ludit an fallax meos
Imago visus? habeo vix mihimet fidem:
Hac luce frueris? *Jon.* Dignus haud eram Deo,
Qui caderem ad aram. *Jab.* Nuntium ut lætum tulit
Samuel; statim impar gaudio, & pene obrutus
Defecit animus: vixque, post aliquam moram,
Se se recepit; illico huc properos tuli
Anhela gressus. *Jon.* Quod fruar vita, tuis
Superi dedere precibus. *Jab.* Inopini exitus
Aliunde causam repete. Tu nostri salus, (*a*)
Columenque, Vates alme: tu Sponsæ Virum,
Natum Parenti, militi invictum Ducem,
Decus omne, Patriæ reddis. O lætum diem!
O sospitalem! Nullus eoo mihi
Lætior ab axe fulsit. *Jon.* En rursus mea es:
Meam recepi: hoc fœnore optati placet
Jactura lethi. *Sam.* Numini acceptum volo

Mu-

(a) *Vertit sermonem ad Samuelem.*

Munus referri, cujus interpres, nihil,
Voces nisi leves contuli. Rerum arbitra
Suprema Mens traxit bona ex ipsis malis,
Eduxit olim ut mella Samsonis manus (a)
Sævo leonis gutture: huic laudes decet,
Plenaque acerra thura certatim dari.

Saul. Ipse, ipse, quam qui maxime, hac cura premor,
Cujus paternum in pectus effuse omnium
Gaudia redundant: cujus & culpa impulit
Tonantis iram. Tu jube, Antistes, frequens (b)
Ut turba resonis celebret hunc precibus diem,
Crepitentque thura injectæ sacrificis focis.

Ach. Ubertim odora e messe sublatus vapor
Perfundet aram: colla submittent greges:
Fluetque nulli flebilis pecudum cruor.
Utinam secundet cœpta, quem colimus, Deus,
Cui sacra ferimus, placidus & nutu regat
Pro se, suisque bella! *As.* Spero equidem, reget;
Sinet nec unquam, crimina id mereant licet,
Barbarica ferre vincla, dilecta satum
E stirpe populum. *Nach.* Veteris, o rerum Potens,
Memento pacti, subeat & mentem Parens
Tibi fidus Abram. *Jon.* Sed quid hic tempus diu
Trahimus inertes? Ibo: præruptas specus
Scrutabor: armis alacer invadam hostium
Latibula. *Nach.* Tibi comes adero, sive invia
Penetrare libeat, sive dilapsos sequi.

Jab. Nuper regressus, rursus in bellum ruis?
Mihine timendum est semper? *Sam.* Audaces gradus
Cohibete: patrios nemo repetentem lares
Remoretur hostem: & interim Sacris vacet,
Cum Rege populus. *Jon.* Victa reparabit suas
Gens sæva vires. *Sam.* Reparet. *As.* Incursus timens,
Militibus arces instruet. *Sam.* Quid tum? Instruat.
Cum res laborat summa, cum vix est spei
Quidquam relictum; magna molitur Deus:
Eget nec armis. Lampadum inopinus nitor,
Subitusque pulsis, excitus, testis fragor,
Illo jubente, vertit in turpem fugam
Densas phalanges hostium. (c) Turris caput
Ne ad astra ferret arduum, in causa fuit (d)
Non terræ hiatus, fulmen aut Cælo ruens;

Sed

(a) *Judic. c.14. 8. & sequent.*
(b) *Vertit Sermonem ad Achiam.*
(c) *Judic. c.7. 20. & 21.* (d) *Gene. c.11. 8.*

Sed sermo discors. Rebus exiguis manus
Tonantis addit pondus. Id vos, id satis
Docuit perenne noctis hesternæ decus:
Quin spero; nisi quas crimina opponant moras,
Posthac docendos sæpe. Proh quales feret
Saul triumphos! Moabum victor premet; (*a*)
Ammonis inde posteros subdet jugo.
Evertet obices mœnium, passim invios
Perrumpet aditus, vallaque, & cautus timor
Quas posuit arces... Victus utinam Rex Agag (*b*)
Transfossus ense pereat, & captos greges,
Et spolia belli opima consumat statim
Admotus ignis! Monita sed præsens dies
Non hæc reposcit. Pergite ad limen sacrum;
Ubi dulce late resonet hymnorum melos,
Centumque flagrent victimæ Isacidum Deo.



SEN-

(a) *Hæ victoriæ Saulis recensentur lib.* 1. *Reg. c.* 14. *&* 15.

(b) *Alluditur ad futuram inobedientiam Saulis in servanda vita Regi Agag, servandisque armentis lib.* 1. *Reg. c.* 15. 22. *& sequen.*

SENNACHERIB

TRAGOEDIA III.

ARGUMENTUM.

SEnnacherib Assyriæ Rex cladis acceptæ causam referens in Nesroch, vel Dagonis iram (utroque nomine fictitium, quod Assyrii adorabant, Numen appellabatur) ab illo oraculum petit, quo, de ratione ipsum sibi, regnoque propitiandi, certior fiat. Dat Numen hoc responsum: ante Solis occasum, suam aram regali sanguine imbui oportere. Responso audito, Rex geminos filios maiores natu immolare decernit: tertium tamen natu minimum, quem ex alio thalamo susceptum impense amabat, suique Regni hæredem scripserat, immolandum fore, artificiose spargit in vulgus. At filii natu maiores, id quod res erat prius suspicati, mox de illa certiores facti, in subterraneum aditum a Regia in Dagonis Fanum excurrentem, & solis Assyriæ Regibus cæteroqui notum, sese cum armatis viris recipiunt. Hæc inter, iussu Regis, de iis per totam Civitatem inquiritur: sed frustra. Quod unice ergo supererat, labente iam die, filius natu minor ad aram ducitur. Illum efferato doloris sensu perculsus parens, ac desperatione adactus, per subterraneam semitam præcurrit: at in templum ingressus, ut ibi conviciis, & maledictis Dagonem impetat, a filiis, eo in loco occultas illi molientibus insidias, barbare trucidatur. Cæde peracta, vix puer immolandus templi limen attingit; Dagon se placatum, illique paternum sceptrum destinasse, manifestis portentis ostendit: quamobrem populus illum lætis acclamationibus excipit, Regemque salutat. Felicem hunc rerum exitum Dagon paulo ante illi prænunciaverat: nam cum a Numine sciscitaretur de sua, fratrumque sorte; responsum hoc audivit: ipsum purpura decorandum esse; fratres vero fœdandos Regali sanguine. Utrumque eventus comprobavit: ille siquidem regnavit post patrem, fratres patrio sanguine respersi in præcipitem fugam se dederunt.

Initium, & Tragœdiæ fundamentum desumitur ex lib.4. Regum, ubi hæc leguntur. Reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive, cumque adoraret in Templo Nesroch Deum suum; Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, & regnavit Asarhaddon

 filius

filius ejus pro eo. *Huius parricidii causa, quæ apud D. Hieronymum in tradition.* Hæbræor. cap.32. *affertur ea est, quia Sennacherib filios suos se Dagoni immolaturum, voverat: qua re comperta filii patris sævitiam prævenerunt. Alia, quæ affertur ex Lyrano* in lib.4. Regum, & *ex Abulensi* quæst.32. in cap.19. ejusdem lib.4. *est, quia Rex Asarhaddon, natu minorem, sui Regni hæredem designaverat: idque ob ardentissimum erga Matrem illius amorem, ut habetur in* Histor. Schol. *Denique duo hæc adnoto: primum est: Sennacherib in Regiam suam reversum, ad ulciscendam ex parte cladem acceptam vexasse Hebræos, illuc antea transmissos, eorumque plurimos occidi iussisse; ut legitur* in lib. Tob. cap.1. *Alterum est in Serarii commentar. eiusdem cap. Idolum Nesroch, alio nomine Dagonem fuisse appellatum.*

PERSONÆ.

SENNACHERIB *Rex Assyriæ.*

SARASAR ⎫
ADRACH ⎭ *Filii Sennacherib maiores natu.*

ASAR) *Filius natu minor ex alia uxore susceptus.*

HAZAEL *Sacerdos Dagonis.*

SAPHAZ *Avunculus Asar, & Educator.*

JADEZ *Assecla Sarasar, & Adrach.*

Scena Ninive in Aula Regia.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

Sennacherib, Saphaz.

Sennacherib cladem acceptam conqueritur: deinde audito Dagonis oraculo, animi ſui propoſitum geminos filios ſuos natu maiores, ex alia uxore habitos, immolandi, & concipit, & artificioſe diſſimulat.

Sen. ON tot relata ſpolia, non regna extera,
Populique domiti, noctis infauſtæ probrum
Satis rependunt. Laudis heu quantum abſtulit
Nox una! qualis horror aſtrinxit gelu
Mihi corda! ut hæſi mente perculſa, videns
Vallata utrinque caſtra cæſorum ſtrue,
Circumque pleno gurgite undantes humi
Cruoris amnes! Generis heu labes mei
Delenda nunquam! Numen Iſacidum o nimis
Recutitæ amator Gentis, & noſtræ invidens.
Saph. Injice dolori frena: Quid nimis aſperum
Refricare vulnus pergis? *Sen.* O vulnus mihi
Lethale, dirum! . Conſerere tecum manus
Licuiſſet utinam, Stirpis Abramiæ Sator,
Tutorque fallax! forſan incerti exitus
Pulſaſſet animum tibi metus: ut olim Jovi,
Furor Gigantum, ad aſtra cum ſternens viam,
Aggeſſit Oſſæ Pelion. Sed tu latens
Non mecum es auſus congredi, imbellis Deus,
Doliſque fretus. *Saph.* Hæc ei fruſtra exprobras:
Nam prima origo cladis horrendæ, fuit
Dagonis ira. *Sen.* Nunc tamen, poſtquam ſacras
Cecidere ad aras victimæ, ulciſci tuum eſt;
Te ſiqua, Dagon, cura tangit, ſi vetus
Amor tuorum, mente nec prorſus tua
Excidimus. *Saph.* Hæc ipſa ultio magno eſt tibi
Paranda pretio. *Sen.* Loquere: quæſitum Dei
Reſponſa miſſus, quid mihi certi refers?
Saph. Silere liceat. Scire quæ Reges amant,

Odere ſæpe ſcita . *Sen.* Si juſſus loqui ,
Quis taceat , æque peccat in Regem , ac loquens
Tacere juſſus . *Saph.* Placidus excipias velim
Audita . Tetigit Myſta vix tacito pede
Penetrale templi , vixque curvato genu ,
Gemenſqne fudit ore ſollicitas preces ;
Tremuere dictis hiſce delubri fores .
Ante diem mergat , quam Phœbus decolor , undis ;
Regalis late noſtras cruor imbuat aras .
Nec plura Dagon . *Sen.* Sanguis obriguit , tremor
Pertentat artus . Itane poſt turpem notam
Cædis cruentæ moriar , & gravius quod eſt ,
Moriar inultus ? *Saph.* Perperam auditum accipis
Fatale carmen , teque in ambages , tua
Te ſponte redigis . Pignus antiqui tori ,
Soboles , paternum , gemina circumſtat latus .
Te mea ſecundo juncta conjugio Soror
Auxit recenti prole . Sunt ſanguis tuus ,
Tua ſunt propago filii : his ſibi victimis
Poſcit litari : ſanguine hoc Dagon jubet
Aras cruentas imbui . Moab miſer
Regnator , olim preſſus hoſtili metu ,
Cruore nati Numen iratum , Moloch (*a*)
In vota flexit . Retulit Abramidum Genus
Ex hoſte palmas , propter Iſacum , Parens (*b*)
In quem ſacrificus extulit gladium . Dii
Vernantis ævi quippe primitias petunt ,
Illoſque mulcet victima intacto vigens
Juventę honore . *Sen.* Deſtinem at quem de tribus
Mactandum ad aras ? Saraſar , atque Adrach , reor
Te non latere , in omne quam proni nefas
Illuc ferantur , ira quo pręceps trahit ;
Illos Parentis non amor tangit , pudor
Nec tangit ullus : Patriam nil penſi habent :
Tentant cruenti quidquid ambitio furens
Objiciat animo . Quidquod illorum latus
Ubique ſtipat , Ducibus haud impar cohors ,
Timoris expers , impigra , ac fidens ſibi ,
Indocilis æqui , cujus inſidiis fides
Aliena nutat . Perdito hoc rerum in ſtatu
Res eſt pericli plena , ſi voveam Deo
Tam dira capita : ſi ſecus ; blandus Puer ,
Minimuſque natu , quo Soror tua me patrem
Fecit , parentum dulce delicium , mei

Spes

(a) *Lib.*4. *Reg. c.*3. 27. (b) *Geneſ. c.*22. 10.

Spes una regni, cæfus occumbet. Malum hoc
Prohibete Superi! Tuque confiliis rege
Mentem labantem, fi vigil regni, & meæ
Studes faluti, plurimum ut certe ftudes.

Saph. Eft prima Regum, cura populorum falus:
Hanc qui tueri negligit, nomen gerit
Inane Regis. Quod petit Regni bonum
Exequere citius, victor intrepidus tui,
Patriique amoris: nullus hanc palmam tibi
Præripiet hoftis: quin jugo Ifacidas premes,
Vicemque reddes. Non diu infelix jacet
Virtus, nec illam patitur abjectam diu,
Provida Deorum cura. Non igitur tuos
Inflectat Uxor, non amor fenfus, decor
Non pueri, & ætas mollis, ac primo vigens
Virtus in ævo gratior. Prompte cadat
Innocua Dagoni hoftia: hæc lapfu fuo
Pronum in ruinam reparet imperii decus.
Adeo puellum licet amem, ut nemo magis;
Ego ipfe jugulo vulnus inferrem, comas
Si facra tegeret infula, & Diûum forem
Addictus aris. O Puer felix, cui
Prima dabit ætas poffe pro Patria mori!

Sen. Sed nimis acerba morte, fibi decus hoc parat.

Saph. Cum laude quifquis claudit extremum diem,
Neftorea vitæ fpatia percurrit brevi.

Sen. Jam parce dictis: do manus, huc Præfidem
Statim Sacrorum arceffe. *Saph.* Pergo. Tu interim
Conftanter urge cœpta, propofiti tenax.

SCENA II.

Sennacherib.

Secum ipfe mente volvit filiorum, primi thalami immolationem, caufafque, modumque illam diffimulandi.

ET patiar ingens columen afflictæ domus,
Patris levamen unicum, ad mortem rapi?
Fratrefque geminos, fæva quos noftri fitis
Regni, & cruoris urit, indemnes feram?
Patiar inultos? Ante nox terris diem,
Diefque noctem pariet, occidua & Thetis
Merget Triones. Ara vos ambos manet, (a)

 Ve-

(a) *Apoftrophe ad Filios abfentes.*

Veſtroque capiti gladius impendet ; ſed ut
Vos imparatos opprimam , & fraudi locus
Non pateat ullus , corde conſilium tego ,
Speciemque falſam obtendo : quin ipſum juvat
Decipere Pueri Avunculum , exemplo ſuo
Ut Vir , ſevera cujus ingenium imbuit ,
Moreſque virtus , plebem in errorem trahat .
Proh pudor ! Id etiam cumulat ærumnas meas ,
Tegere quod iram cogor , ac tacitos dolos
Verſare mente . . At ecce greſſus huc Puer ,
Anhelus infert .

SCENA III.

Sennacherib , Aſar .

Aſar paratum ſe offert ad mortem , pro regni incolumitate ſubeundam . Ut vero falſus de illius morte rumor apud vulgus increbreſcat , illum Sennacherib fallacibus verbis , in ſpem moriendi inducit .

Aſ. TOta populari excita (ræ ,
Fremit Urbs , tumultu : clamat impatiens mo-
Statim expiandum quidquid ærumnæ fuit
Latens origo : cladis horrendæ memor ,
Pejora metuit . *Sen.* Aderit Antiſtes brevi
Jubebo , plebe coram ut indicat Sacrum .
Aſ. Quænam futura eſt victima ? *Sen.* Ex noſtra ſatus
Stirpe aliquis . *Aſ.* O ſi fas ſit optatam hanc mihi
Mortem ſubire ! Genitor , id ſupplex rogo :
Hæc una ſupereſt ratio , qua regni ſalus
Conſtet , furentum qua Deûm , atque hominum queas
Mulcere corda : hæc una , qua concors amor
Fraterna vincat odia . *Sen.* Cur potius rapi
Te jubeam ad aram ? An alius eſt nemo , genus
E ſtirpe ducens regia , & celſos Avos ,
Atavoſque jactans ? *Aſ.* Sunt quidem alii ; ſed fluunt
Sic res , ut illos cogere aut legum rigor ,
Aut arma nequeant . *Sen.* Tangis en cordi intimum ,
Lethale vulnus . Nanque nil gravius fero ,
Quam quod ſuperba fronte , diſſimilis tui ,
Uterque Frater , ingruit poſtquam gravis
In me malorum turbo ; detrectans jugum ,
Nil mea veretur jura : quin audax palam
Oſtentat odia , fruitur & noſtris malis .

O ſi pudendum liceat ulciſci nefas!
At prohibet emptus plebis inſanæ favor,
Quæque vigil armis ſtipat amborum latus,
In omne facinus prona latronum cohors.
Aſ. Haud erit inultum crimen: ipſe nam luam
Utriuſque pœnas. *Sen.* Ferre, quod Fratres tua
Me fata cogant, majus id crimen puto,
Satis luendum nunquam. *Aſ.* Alia tibi mens erit;
Mors mea, furoris percitos æſtu, ſtatim ac
Sedarit animos. Ipſe, quod natu minor,
Tabulis ſupremis, primus ad regnum vocer,
Jam ſcriptus hæres, æmulum pectus fodit.
Deſierit odii cauſa, tunc ambo tibi
Iterum obſequentur, tuque in amplexus rues.
Sen. Quod paribus humeris pondus innixum velim
Regni labantis, itane perverſe dolent?
An jura tradant, nulla queis virtus, amor
Recti nec ullus, quoſque tranſverſos agit
Furens cupido? Fræna qui regni manu
Verſare debet, ante quam populo imperet,
Sibi imperare diſcat. *Aſ.* Alienas, fagax
Mens noſtra: labes noſcit, ignorat ſuas:
Veniam merentur. At Sacrum haud longas moras
Patitur. Quid hæres dubius? hac ipſa die,
Peragenda res eſt. *Sen.* Noſtra ſi placidum, ratis
Sulcaret æquor, vela nec raperent Noti;
Vis nulla patrium claudere ad regnum viam,
Nulla tibi poſſet fraus. At.. infelix puer!
Jactamur undis: vehimur & ſævi maris,
Quo cogit æſtus. *Aſ.* Moriar: o lætum diem!
Sen. Recede fili. Præſes en templi ſubit.
Aſ. (a) Sacer Deorum Interpres, aras inſtrue:
Victima parata eſt.



(a) *Occurrit Sacerdoti, eumque alloquitur.*

SCENA IV.

Sennacherib, Hazael.

Sennacherib animi sui propositum Hazaeli, Dagonis Sacerdoti secretò aperit, mandatque, ut minores Sacricolas silentium servare, supplicii comminatione, cogat.

Haz. MOrte num Puer hic, Dei
Placabit iras? *Sen.* Non ita invisos puto
Nos esse Superis, nostræ ut exscisum velint
Decus omne Gentis. *Haz.* Fata cur igitur putat,
Sibi parari? *Sen.* Mente simulata loquens,
In hunc adegi errorem: eodem quin capi
Errore plebem cupio, & ipsos vel Duces,
Aulæque Proceres. Falsus hic rumor, quibus
Decreta mors est, reddit incautos: opus
Quod esse duco, ne Sacro innectant moras.
Haz. Primi ergo thalami pignus alterutrum cadet.
Sen. Quin imo utrumque. Præstat hanc geminam imperj,
Labem perire: morte propulsent sua,
Quidquid malorum invexit in nostrum genus,
Insanus amborum furor: placet Deos,
Qui movit iras. Adde quod sceptri mihi
Succedet hæres certus, innocuus Puer,
Virtute præstans: sæcla, quo rerum auspice,
Aurea recurrent: laude qui claros Avos
Superabit, ævo grandior. *Haz.* Non me latent
Præclara Pueri initia. *Sen.* Tu Puerum adjuva,
Pater alme Regum, provide Interpres Deûm.
Haz. Facinus ut habeat exitum votis parem,
Enitar. *Sen.* Illud intimo at clausum sinu,
Nulli reclude. *Haz.* Nostra tibi nota est fides.
Sen. Tibi, quos minores postulant decus, & labor,
Addi Ministros, cogat horrendæ necis
Timor silere. Perge jam: vittas para,
Serta, & bipennes: fac ut in te nil moræ
Mihi sit. *Haz.* Capessam sedulo, ut par est, tua,
Rex, jussa: & utinam cœpta fortunent Dii! (*a*)
Sen. Hæc inter, hostes, compedum, hic quotquot trahunt
Servile pondus, illico incautos premet
Inopina cædes: sic Ducum, inferias dabo
Manibus inultis: sic in Isacidum Deum
Regeram, cruenta clade, quod patior probrum.

ACTUS

(a) *Discedit.*

ACTUS II.

SCENA I.

Sarasar, Adrach.

Sarasar ex gravibus coniecturis id, quod erat suspicans, in hanc ipsam suspicionem fratrem suum Adrach inducere conatur. Ambo tamen Jadez, quem rei veritatem exploratum miserant, reditum præstolantur. Colloquentes prodeunt.

Sar. LArgitur illi munera effusa manu,
Illumque regni statuit hæredem; & putas
Id posse fieri, cadere sacrifico ut sinat
Ab ense cæsum. At esto, permittat Parens,
Vox una Matris illico hanc mentem auferet:
Quid, si lacrymulam impendat? Est captus novæ
Amore nimio Conjugis. Fuit hæc mali,
Hæc prima labes. Odit aliena satos
Genitrice dira mulier, & nostra involans
In jura, Nato ut sternat ad regnum viam,
Uxorii in nos odia Genitoris, suis
Incendit odiis. Hic face admota statim
Exarsit adeo, nusquam ut in tuto salus
Sit nostra: ubique premimur insidiis. Parens
Magis est cavendus, quam hostis. *Adr.* At cladis memor,
Novaque furentis tela Fortunæ timens,
Forsan resipuit. *Sar.* Facile ad ingenium redit,
Meliora quisquis sequitur impulsus metu.
Non dum cicatrix vulneri obducta est, furit
En rursus irarum impotens, cædi & jubet
Hebræa quotquot mancipia, quondam jugum
Subiere nostrum. Inolita pectoribus diu,
Occultat animi vitia, non delet timor.
Adr. Cur simulat aliud, quam, quod instaurat Sacrum,
Fraudesque nectit? *Sar.* Ut dolo eludat dolos,
Si quos paramus: utque nostrum, quæ latus
Armata stipat turba, nil contra audeat.
Me non metuere vana, nec specie capi,
Res ipsa pandet. *Adr.* Ire se recta putat,
Quicumque aberrat: nemo decipitur volens.
Sar. Fortasse fallor: quod utinam! Gravis est tamen
Ratio timendi Genitor aversus, gravis
Jam Frater hæres scriptus, & gravior furens

Odium Novercæ. *Adr.* Miſſus ut latebras doli,
Siquid doli eſt, recludat, ad nos non adhuc
Rediit Jadez. Conſilia, prout res feret,
Capiemus una, audire, quo res ſint loco,
Poſtquam licuerit. Interim anceps hæreo,
Metum inter, & ſpem. *Sar.* At en pavidus gradum
Huc properat. Omen triſte, quod Superi obruant,
Ex ore capio. *Adr.* Tacitus in vultu dolor,
Munus loquentis præripit.

SCENA II.

Saraſar, Adrach, Jadez.

Jadez renuntiat duplicem mactandam eſſe victimam: id quod ex ore infimi ordinis Sacricolæ, exculpſit. Hoc nuntio audito, Saraſar, & Adrach in ſubterraneam viam e regali palatio ad Dagonis fanum excurrentem, ſeſe cum armatis viris recipere, atque illinc diſtrictis gladiis, Regem adoriri decernunt.

Jad. CErti nihil
Eruere potui; niſi quod irato duplex
Victima litanda eſt Numini. Id magno ſtetit
Reſcire: fruſtra nanque conſumpſi minas,
Pollicita, lacrymas, ſacricolam ut quemdam, ex iis,
Qui fronde velant templa, quique aras ſtruunt,
Proferre ab imo cogerem arcanum ſinu.
Auri ſed ingens pondus aſtrictam fidem,
Metumque vicit. *Adr.* Unde ſed geminam hoſtiam,
Novit, litandam? *Jad.* Quæris unde? An id queat
Latere famulum, cujus eſt aram, ſacras
Parare fruges, ſerta, thuricremos focos?
Sar. Præſenſit animus hoc malum. At noſtrum in caput
Dum ruit, inertes trahimus hic longas moras?
Fraus occupanda eſt fraude: moliri eſt opus
Facinus cruentum, ſuperet omnem quod fidem,
Poſtera quod ætas ſtupeat. *Adr.* E regno juvat
Abire potius *Sar.* Si forem abſens, huc gradum
Statim referrem. Mene fugere? me, procul
E regno abire? Impune ſic nobis Aſar
Paterna ſceptra rapiat? *Adr.* Incurret ſuos
Sic ille laqueos. *Sar.* Alia tunc Dagon dabit
Reſponſa. Diûum voce Rex fraudes tegit,
Vafer perinde, ac ſævus. Imperii ſalus

Dum

Dum nutat anceps, quos nequit pœnis, metu
Frænat Deorum. *Adr.* Interpres an Superûm fidem
Nullam meretur? *Sar.* Hancne vaniloquus meret,
Qui læta cecinit fata, cum noſtri Duces
In bella ruerent? Eſto ſed vere ſibi
Sanguine litari regio, Dagon velit:
An ille noſtris totus in venis fluit?
Non eſt eodem cretus Aſar? An non ſatis
Fuiſſet unus? Aræ deſtinat ſævus Parens
Cur ergo noſtrum utrumque? Quid fando, diem
Hic trahimus ultra? Patet utrinque pervius
In templum ab aula tramite occulto ſpecus:
Quas noſſe latebras ſorte mihi quondam datum eſt.
Opus eſſe duco noſmet, & lectos viros
Illuc latenter recipi, & illinc in Patrem,
Sibi nil timentem, irruere. In articulo hoc ſumus:
Obeunda mors, vel danda: nil medium intereſt;
Adr. Cor pepulit horror: membra torpeſcunt gelu.
Sar. Natorum an illum commovet cædes? Patris
Exempla ſequimur. *Adr.* Genuit at nos. *Sar.* Quam dedit,
Vitam tuemur. *Adr.* Crimini vitam pudet
Debere. *Sar.* Vitam, crimine haud illum pudet,
Auferre ſoboli. *Adr.* Patris ut morem exuat;
Pater eſt. *Sar.* Parentem nempe ſe factis probat: (*a*)
Quæ tigris illo ſævior? Sed non vacat
Audire queſtus. Tuque Jadez hinc jube,
Equis citatis aliquot ex noſtris ſtatim
Fugam capeſſant: ora fugientum tegat
Demiſſa caſſis: dextera eductum minax
Enſem coruſcet. Fallet hæc, vulgus leve,
Imago rerum: quiſque nos credet fugam
Cœpiſſe, pavidos. Juſſa, nam medium ſecat
Sol altus orbem, citius exequere. *Jad.* Exequar.
Vos o tueri ſoſpites detur! (*b*) *Sar.* Moræ
Nil patior ultra: urgenda ſunt cœpta, irritum
Cœpiſſe ne ſit. *Adr.* En tua, invitus tamen,
Veſtigia ſequor.

(a) *Ironice.* (b) *Diſcedit.*

SCENA III.

Sarasar, Adrach, Asar.

Asar, ut ipse putat, brevi moriturus, extrema amoris signa Fratribus exhibet. Ab illis inofficiose repellitur: repulsus secum ipse conqueritur.

As. (*a*) LIceat extremum vale, (diem
Et dare supremum liceat amplexum. Hunc
Non merget æquor, ante quam cæsus cadam.
Liceret utinam sanguine effuso Dei
Flectere minacis iram! ... At ulnas cur meas
Refugitis ambo? *Sar.* Cura me gravior premit. (*b*)
As. Ah siste saltem hic gressum Adrach. *Adr.* Fratrem sequi
Par cura me cogit. Tibi est cautum satis,
Matris sub umbra. (*c*) *As.* Vetera, ne impendens quidem
Mihi mors, coercet odia. Me miserum! dolor
Alienus aliquod ferre plectendis reis
Solet levamen: at ego dum fata innocens,
Et sponte subeo, corda vel fratrum efferat
Hircana rabies. Ipsa dediscit suos
Natura mores, desit, obituro ut necem,
Solamen omne. Causa sed quænam asperas
Accendit iras? Forte si vitio datur
Vos nimium amasse; exigite justas, quas decet,
Amando, pœnas.

SCENA IV.

Sennacherib, Asar.

Sennacherib filium suum, perturbatum deprehendit, cumque perturbationis causam, esse reputet metum propinquæ mortis, arcanum illi retegit. Asar precibus, lacrymisque Patrem a suscepto consilio removere conatur.

Sen. UNica, afflicti Patris,
Spes, & voluptas, cedat e vultu procul
Horror propinquæ mortis: antiquum jubar
Frontem serenet. Alia, procumbet Deo,
Victima: ab amore cogor, arcanos tibi

Ape-

(a) *Fratribus discedentibus occurrit.* (b) *Discedit.*
(c) *Discedit.*

Aperire sensus. Quos retego, nollem prius
Siluisse: nam, si mortis excipias metum;
Mors ipsa nihil est. *As.* Desere innocuos dolos, (a)
Blandasque fraudes. Pectus intrepidum necis
Imago nulla terret: Assyriæ id palam
Lux ista faciet. *Sen.* Nulla te nobis dies,
Vis nulla rapiet. *As.* Arte, dum frustra studes,
Necem paratam tegere; mihi labem allinis
Metus pudendi. Morte ne plene fruar,
Quod prohibet, hoc est: Fratribus nuper volens
Oscula suprema figere, & pignus dare
Fraterni amoris; proh dolor! ab illis fui
Statim repulsus: hoc meum pectus fodit
Crudele vulnus. *Sen.* Fodiet illorum sacer
Sed mucro jugulum. *As.* Verane audio? *Sen.* Num fides
Neganda Regi est? *As.* Hæc fides utinam foret
Habenda nunquam! Te per, ego, Natis sacrum
Nomen parentis, oro, per siquid meret
Innocua proles; posse da Genitor, bono
Regni, tuoque impendere hanc animam. Meis,
Si me, ut reor, amas; precibus annue: sin minus;
Cur fata prohibes? *Sen.* Non sinam, ut Fratrum furor
De te triumphet. *As.* Luere si pœnas cupis;
Regnent. Mala o quot contegit fallax nitor
Radiantis ostri! Regis auratum premens
Diadema frontem, gravius est multò, pedes
Remorante vinclo. *Sen.* Præmium sit, vel labor,
Te regni aviti fræna moderari volo,
Cui laudis, animum ad grandia informat, flagrans
Cupido, stimulisque urget ingenium, sua
Jam sponte pronum. *As.* At major ætas jus dedit...
Sen. Quæ jura memoras? Ambo degeneres nihil
Conferre Fratres, publicum ad regni bonum,
Nisi morte, possunt. *As.* Cæde fraterna madens,
Regnum auspicabor? Genibus affusus rogo, (b)
Quas fundo rursus: aure ne surda preces
Rursum repellas. Parce... *Sen.* Quid patrem irritis
Verbis fatigas? *As.* Verba quod nequeunt, fluens
Saltem per ora fletus exoret. Retro
Cur flectis oculos? cerne rorantes genas,
Natumque supplicem:

SCE-

(a) *Accipit verba Genitoris, tamquam artificiose dicta ad lenimentum timoris.*

(b) *Genu flectit ad Regis pedes.*

SCENA V.

Sennacherib, Asar, Saphaz.

Saphaz lacrymas, & preces Asar perperam interpretatus; falso putat eum a proposito strenue moriendi descivisse: Errore postea detecto, Alumni sui constantiam confirmat. Sennacherib iubet, in aulam Sarasar, atque Adrach acciri, eosque in custodiam tradi. Demum Asar in templum pergit, ut a Dagone de sui, fratrumque sorte inquirat.

Saph. ITane fœmineis studes
Ambire Regem fletibus? Tibi quæ obruit
Caligo mentem? prisca quo virtus abit?
Sen. Regum quod animo sedit, immotum vices
Non patitur ullas. *As.* Genitor in melius refer
Consilia: non id dedecet Reges. *Saph.* Pudor
Ut periit omnis? Jussa, me coram, sequi
Paterna renuis? ubi amor, obsequium, fides,
Animique celsa decora, quæ mecum loquens
Tam sæpe laudas? Facta virtutem probant,
Nec hominem honestant verba, sed mores. Patris
Obsequere jussis. *As.* Patiar ergo me... *Saph.* Negas?
Sic te Deorum monita, sic flectit salus
Peritura regni? Macte, sacrilega, faces
Jaculare dextra: incende regalem domum,
Incende Patriam, funditus regnum erue.
Miraris? hæres? Culpa non impar tua est,
Mala hæc cavere, dum renuis. *As.* Itane exprobras
Commune crimen? Si mihi id vitio datur;
Quod fata posco, mente quod iniqua fero
Translatum in alios nobilis lethi decus;
Tu culpæ es auctor: pectus hoc, per te flagrat
Amore laudis: te duce intrepide pati
Adversa didici, ferre & instantem necem,
Fronte irretorta. *Saph.* Rediit animus: sic, juvat
Errasse. Nostros quam bene rependis metus,
Vigilesque curas! *Sen.* Vitia non raro tegit
Species honesti, & falsa sic sunt non semel
Finitima veris, noscere ut mens vix queat,
Quid inter illa intersit. *As.* An letho caput
Offerre, laudem non meret? *Sen.* Vilis timor,
Hac sæpe larva tegitur. Hunc fortem puto,

Mi-

Miſer eſſe qui diu poteſt . *Saph.* Subeant Dei
Reſponſa mentem : ſubeat hoc pretio ſalus
Redimenda regni . *Sen.* Huc advoca , dicto ocius
Natos rebelles : greſſum ubi intulerint ; ſtatim
Utriuſque , cuſtos miles exarmet latus ,
Amboſque in aula ſiſtat . Irato hæc duplex
Victima litanda eſt Numini . Tu vero , Aſar ,
Aſſueſce regno : ſceptra , poſt me tu geres .
Sic ſtatuo . Nemo renuat , & nemo alteri
Mea dicta retegat (*a*) . *Aſ.* O nimis fallax , ſpei
Mendacis umbra ! *Saph.* Velle præclara aggredi
Noſtrum eſt ; ſed eadem poſſe , virtuti negat
Fortuna ſæpe . At hic morari non vacat . (*b*)
Aſ. Quis ſit futurus exitus rerum , Deum ,
Supplex rogabo : templa feſtinus peto .

ACTUS III.

SCENA I.

Sennacherib .

Filios , quos in cuſtodiam tradi iuſſerat , periculum inopina fuga evaſiſſe conqueritur : quamobrem de infidelitate ipſius Saphaz ſuſpicatur .

FRuſtra eſt vagatus miles , & latebras diu
Luſtravit Urbis : utraque evaſit ſacras
Victima bipennes : quique debuerat fugam
Inhibere utrique , forſan hortator fuit .
Quænam , vel unde , dubio in anfractu , queam
Conſilia capere ? Satius immani foret ,
Periiſſe cæde . Numen Iſacidum tua
Cur mihi pepercit ira ? Trans Erebi lacus
Vagarer , Umbras inter errantes Ducum ,
Curis ſolutus .

SCE-

(a) *Diſcedit .* (b) *Diſcedit .*

SCENA II.

Sennacherib, Saphaz.

Saphaz narrat, se pluries Urbem, reductosque illius anfractus, irrito labore scrutatum fuisse: qua re audita, Sennacherib, in illum tanquam fugæ auctorem invehitur, eumque in carcerem coniici iubet.

Saph. RElegere emensas vias,
Cupidoque rursus ore scrutari sinus
Magis reductos, irritus labor fuit.
Sen. Abiere quonam? *Saph.* Prorsus ignoro. *Sen.* O caput
Fallax, scelestum, siccine ignoras dolos,
Tuasque fraudes? Te auspice occulte fugam
Cœpere Nati. *Saph.* Me auspice? audacter nego.
Sen. Pandes coactus, quæ mihi audacter negas.
Saph. Non terror ullus falsa me coget loqui.
Sen. Mortis cruentæ cum prope instabit metus,
Vera esse nosces. *Saph.* Nulla constanti viro
Mors est timenda. Lutea vel ferro ruat,
Vel igne moles, liber ad cæli plagas
Æque regreditur animus, & repetit suum
Natale sidus. *Sen.* Citius illuc, quam cupis,
Forsan redibis. *Saph.* Solis, haud nostros, iter
Metitur annos; vera sed pietas, fides,
Rectique cupidus ardor: hinc vixit satis,
Cum laude quisquis vixit: ignavos cita
Mors premit, in illos fera jaculetur licet
Fatale telum. *Sen.* [Vix furor patitur premi;
Tamen prematur] Nimia transversum te agit
Cupido laudis. Ipsa præscriptos sibi
Transgressa fines, deneger virtus abit
In vitia; sed nunc, si sapit tibi cor; age,
Molitus es quidquid doli, in medium illico,
Lucemque profer: redimere hoc pretio potes
Vitam, decusque: dona quin posthac novis
Cumulabo donis: tibi meam astringo fidem,
Superosque testor. *Saph.* Sperno perituras opes,
Quibus esto dives fuerit; infelix tamen
Est, quem latente vulnere interius fodit,
Animusque torquet conscius. Nihil in bonis
Nisi quod honestum est, numero, nec quidquam in malis,
Nisi turpe factum. Prosperæ est quisquis suæ

Sibi

Sibi fortis auctor : nanque, si culpa vacat;
Beatior nemo : æquat humanum Genus
Cælitibus, omni labe mens intus vacans,
Scelerisque pura. Crimen haud ullum meum
Remordet animum. *Sen.* Et ipse fateor, habet tuus
Causas honestas error; hunc ergo, metus
Procul absit, aperi : abrumpe fatales moras.
Medio recessit axe jam Titan : Sacrum
Opus est parari. Loquere, quos mactem exhibe.. (*a*)
Siles? Amori sic meo reddis vicem?
Regalem amanter extuli ad thalamum, tuam
Postquam Sororem, decoris oblitus mei,
Tuæque curæ tradidi puerum, domus,
Regnique columen, quem nisi a morte, ut potes,
Eximere properes; nullus antiquæ patet
Sorti regressus. *Saph.* Nil agis : frustra jubes,
Rogasque frustra. Penitus ignoro fugæ
An terga dederint, quove, fugitivo gradu
Ferantur ambo. *Sen.* Nostra sic fidens tibi
Odia lacessis? O fugæ, o scelerum artifex,
Regni lues, Regumque. Non te, non teget
Simulata pietas : imo ne Soror quidem
Prodesse poterit : nec Dii impedient necem,
Tibi paratam. Viscera at lento prius
Stillare ab igne, membra laniari diu
Rotis jubebo. Hoc interim, abruptum in specum (*b*)
Immane monstrum ducite, & servet fores,
Statione miles.

SCENA III.

Sennacherib, Asar, Saphaz.

Asar avunculum suum, & educatorem vinculis astringi videns, inopinum eius infortunium miratur, eique amoris sui signa exhibet.

As. QUæ meos oculos subit (rens,
Inopina species? vincla quorsum hæc? Quid, Pa-
Tecum quid agitas mente? *Sen.* Quod Regem decet.
As. (*c*) Nostræ o juventæ tutor, o morum mihi,
Rectique norma, quo ore, quove animo feram

Sic

(a) *Saphaz aliquantulum immoratur.* (b) *Accurrunt* Excubitores, *qui Saphaz vinculis astringunt.*
(c) *Alloquitur Saphaz.*

Sic te revinctum? *Saph.* Ferre quo nunc me vides.
Intrepida virtus tela ſtat contra: malis
Quin læta fruitur, unde ſibi clarum decus
Cumulat, ferendo. *Sen.* (a) Trahere, me coram moras,
Audetis ultra? *Saph.* Pareo. *Aſ.* Amplexus dare
Sed ante liceat. *Saph.* Pignus hoc ſolum volo
Perenne amoris, ut nihil laudis putes
In opibus eſſe, quas colit vulgus, nihil
Regali in oſtro. Fama virtutum eſt comes,
Non clamydis, & opum: ad aſtra nec plebis favor,
Nec inanis aulæ ſplendor Heroas tulit;
Firmum ſed animi robur. Eſt regni ſalus
Redimenda morte ſi tua; mortem ſubi,
Immotus ore. Plura ſed fruſtra: brevi (Vale,
Exempla tradam. *Aſ.* Exempla? Me miſerum! *Saph.*

SCENA IV.

Sennacherib, Aſar.

Aſar Avunculi, & altoris ſui cauſam apud Regem tuetur; acceptum a Dagone reſponſum refert, Regique ſolatium aliquod afferre conatur.

Aſ. QUod ſcelus in illum, ſceleris aut anceps cadit
Suſpicio? *Sen.* Mæander haud tot, dum fluit,
Refluitque, cæcas volvit ambages, dolos
Quot ille mente volvit. Eſt raro fides
Habenda fronti. *Aſ.* Fama ſed raro admodum,
Communis errat. Laude præſtantem Virum,
præclara cujus facta ne livor quidem
Aſperſit unquam, nemo quem culpæ arguit,
Hunc ego pudendi criminis reum putem?
Sen. Dare verba Regi, fallere obſtrictam fidem,
Decus omne noſtræ ſtirpis, Aſſyriæ decus,
Patriæque ſpem omnem evertere, hæc etiam putas
Laudem mereri, & digna præſtanti Viro? (b)
Aſ. Hæc quo probantur teſte? *Sen.* Facto ipſo eſt ſatis
Crimen probatum. Nonne, violatæ reum
Fidei, ſat illum Saraſar, atque Adrach fuga,
Metuque retegunt? *Aſ.* Quiſpiam alius fors, prope
Inſtare telum, monuit. *Sen.* Ecquis? num ſacer
Templi Miniſter? Abſit ut ſcelus imputem

Almo

(a) *Vertit Sermonem ad Saphaz, & excubias.*
(b) *Ironice.*

Almo Sacrorum Præsidi . An tu ipse? At tua est
Mihi nota probitas . Alius est nemo , mea
Cui mens suboleat . *As.* Animus , inopino metu
Suamet futura sæpe præsagit mala .
Verum latere sceleris auctorem , reor
Voluisse Superos , sese ut ignoto exitu
Evolvat anceps ordo fatorum . Hac via
Fors cadet , ut optas , id quod in voto est tibi .
Sen. Non sic metuimus , ut metus vinci queat
Spe tam caduca . *As.* Firma spes est , quam Dei
Responsa gignunt : nam sacrum , tacito pede ,
Penetrale templi ingressus , hæc , tendens manus ,
Supplex rogavi : nosse da , Numen , meam ,
Fratrumque sortem . Vix ea : horrisonum in modum
Hic pepulit aures , major humano sonus :
Membra tibi Regum decorabit purpura : binos
Asperget gladius regali sanguine Fratres .
Sen. Jam decolor pallet dies ; nec sint ubi
Rescire licuit . *As.* Acta præcipiti metu ,
Dum fera pererrans concutit totum nemus ,
Quæritque latebras , sæpe fugiendo subit
Venantis arcum . Lachesis , imperio Jovis
Quæ sculpsit ære , lege præscripta , suis
Innexa causis , sic fluunt ; nemo ut queat
Inhibere cursum . Forsan una dum sumus ,
Dum loquimur , ambos cogit ignaros , tenor
Fati huc redire . *Sen.* Tempus indictum Sacro.
Nos propius urget . *As.* Arduum est Superis nihil ,
Si poscat id res , dextera Dagon sua
Cursum diei sistet . An non sol stetit (*a*)
Prementis hostes Josuæ ad nutum , ut refert
Elapsa post tot sæcla , portenti memor
Vel ipsa Gens nostra ? Ecquis , Isacidum Deus ,
Quæ potuit olim , posse Dagonem neget ?
Causas quid alias rimor ? Ultro , ne mihi
Perenne nomen comparem , invertet suas
Natura leges . Ast Jadez huc subit .
Sen. Novi quid affert ?

(a) *Jos.* *c.*10. 13.

SCENA V.

Sennacherib, Afar, Jadez.

Jadez ut latentium in subterraneo specu Sarafar, & Adrach incolumitati consulat, fraudolenter fingit velle se eorum fugam intercipere. Interim ex ipsius verbis innocentia Saphaz detegitur.

Jad. Sim tibi adverfas licet
Partes fecutus, quandiu id cladem citra
Regni fupremam licuit, ultro nunc redux
Tua caftra repeto, fumma cum rerum labat,
Quique unus eft Regno aptus, impendens fubit
Capitis periclum. Potius iterum in nos ruat
Victor cruentus, fceptra quam capiant, facri
Qui nil verentur, quofve furibundos agit
Præceps cupido! Pectus amborum filex
Alpina cingit: ambo fævitia pares,
Ipfa fruuntur cæde, qua Solymæ rubent
Adhuc arenæ, nofcit & nondum fuas
Jordanis undas. *Sen.* Sæva non leviter pudet
Genuiffe monftra. Sed meæ haud nunc eft opis,
Augere monftris hifce tartareos fpecus.
Hoc illud eft, quod crucior, & curis premor.
Jad. Compefce queftus: fracta nondum fpes jacet.
Sen. Tentare quidnam, tempore exiguo queam,
Rerumque medius inter implexas vices?
Jad. Tibi explicatam rem dabo: impediam fugam,
Ambos reducam. *Sen.* Qua arte? *Jad.* Qua falli folet
Ambitio: fpe regni. Ibo veloci gradu,
Simulanfque vultu gaudia, huc ambo ftatim
Populi, & Senatus; quin & accitu Patris,
Repetant ut urbem, retro converfis equis,
Monebo: dictis utque conciliem fidem,
Perfpicua fingam verba pofcentis Dei,
Prolem immolari, quæ, minor natu, eft tui
Pars magna amoris. *Af.* Siccine in partem vocor
Artis dolofæ? *Jad.* Hæc hæret in me uno, mea
Eft fiqua culpa. *Sen.* Sed quis hortator fugæ?
Quis auctor illis? *Jad.* Plebe de facra puer,
Corruptus auro: retulit hic geminam hoftiam
Deo litandam; & inde, fugientum comes,
Etiam ipfe fugit. *Sen.* Quam tenent viam? *Jad.* Alluit,

Quam Tigris amne. *Sen.* Abſcede. *Jad.* Perfectum puta,
Quod orno facinus [Fraude multiplici eſt opus,
Regi paratam cædem, & inſidias tegi.] (*a*)

SCENA VI.

Sennacherib, Aſar.

Rex, comperta Saphaz innocentia, eum iubet liberari, & in priſtinum dignitatis gradum reſtitui.

Sen. SPes aliqua temperat metum. *Aſ.* Fallax tamen.
Dolis ſueto præcocem adjungis fidem.
Sen. Manu prehenſat naufragus, fractæ ratis
Quidquid per æquor fluitat, æqua, nec ſpei
Momenta pendit lance, cui gravius nihil
Supereſt timendum. *Aſ.* Melius, ah melius tuis
Conſulere poſſes rebus, expleres Dei
Si juſſa noſtro ſanguine. *Sen. At Regum tibi*
Membra decorabit purpura. *Aſ.* Hos, fateor, ſonos
Audire licuit: cortice at vocum latens,
Dubiuſque ſenſus tegitur. Id curas tamen,
Ægrumque pectus mulcet: Altoris fidem
Patuiſſe. Fulget, inſtar excuſſæ facis,
Petita virtus rebus adverſis: ſuum,
Magis illa promit, inter ærumnas, jubar.
Sen. Vinclis ſolutum, in priſtinæ ſortis gradum
Reſtitue Saphaz. *Aſ.* Genitor, exemplum cape,
Quam ſit cavendum, ne quid adverſum reos,
Decernat ira: nam ſtatuat æquum licet;
Non ſtatuit æque (*a*). *Sen.* Patris o magnum decus,
Noſtrique generis, cujus ingenium ſagax
Prævertit annos. Hunc mihi incolumem, Dii
Servate, ſi veſtra intereſt regni ſalus,
Siquid merentur Regis, & populi preces.



ACTUS

(a) *Diſcedit.*

ACTUS IV.

SCENA I.

Sennacherib.

Invehitur Sennacherib in Jadez, fraude illius detecta, & Asar filii sui mortem, quam putat imminentem, amare conqueritur.

PAtuere fraudes: non pedem ex urbe extulit
Veterator ille; sed domi occlusus latet;
Digressus unde famulus, id me clanculum
Monuit in aurem. Scelere deceptor diu
At non fruetur: Vindices testor Deos.
Illius ipse pectori ferrum inseram,
Repetamque pœnas: fata quin post, per Stygis
Horrifica nemora, perque squalentes plagas,
Urgebo iniquæ fraudis auctorem, flagris,
Laterique semper adero. Sed mecum quid hæc
Animo revolvo tacitus? Exanimis cades
Interea acerbo funere, infelix Puer!
Parens nec ultor poterit, ingenium sagax,
Et robur animi, vividum & formæ decus
Revocare in artus.

SCENA II.

Sennacherib, Hazael.

Hazael, Summus Dagonis Sacerdos Regi nuntiat, sacrificium protrahi ultra non posse. Rex, precibus dilationem aliquam extorquere conatur. Sed, voti compos non factus, immani furore corripitur.

Haz. JAm fere hesperium mare
Sol tangit: ultra haud patitur ignavas moras
Lustrale Sacrum. In vota, jam populus frequens,
Vocat ore Numen, & genas lacrymis rigans,
Et fronte pronus supplici, veniam rogat.
Sen. Quid audio? quid agam miser? Tu quæso, opem
Affer roganti. *Haz.* Afferre quì possim, doce.
Sen. Primum est, ut aliquot protrahi Sacro dies

Ju-

Jubeas : inanes finge, non raro id solet,
Causas morandi : nempe sacra vasa infici
Labe aliqua, & esse flumine illimi prius (a)
Purganda decies, dextera sacris focis
Ingesta thura, nube ferali, Dei
Obtegere vultum, serpere incertam viæ,
Per inane, flammam, vertice & flexo, plagas
Refugere superas, semitæ oblitam suæ :
Hinc ante, parvis hostiis sæva hæc fore
Omina pianda, quidve Dagon non probet,
Opus esse, pecudûm retegat ut saliens fibra,
Nuntia Deorum, conscia & fati, sacer
Consulat Haruspex, exta. *Haz.* Quemnam me putas?
Non is ego sum, decipere qui Superos velim,
Hominesque turpi fraude. *Sen.* Reprehendi nequit
Ars innocua, quæ plebis insanæ impetus,
Primosque motus frangat. *Haz.* An Divûm licet
Sprevisse jussa? Tuque quam impense studes
Mulcere Sacris, crimine incendes novo
Dagonis iram? *Sen.* Gravius Assyriæ est nihil
Posthac timendum, quam quod impendet malum;
Si fata subeat, nixa, quo regni est salus,
Me dignus hæres. Precibus indulge meis.
Te per, ego, sacras infulas, per siquid est
In Rege, quod ames, oro. *Haz.* Tibi morem ut geram
Vetat, nec ullum linquit arbitrio locum,
Fatale monitum, luce se prodens sua :
Ante diem mergat, quam Phœbus decolor undis,
Regalis late nostras, cruor imbuat aras.
Sen. Responsa at æque certa, fatidico dedit
Ore Deus, hisce vocibus Natum alloquens :
Membra tibi Regum decorabit purpura : binos
Asperget gladius, regali sanguine fratres.
Haz. Utinam futuros exitus rerum Dii
Vertant, ut opto, in melius! At nostrum interim
Est, jussa facere. Parce jam verbis : age
Obsequere Dagoni, ut decet, Natum exhibe.
Sen. Itane superbis? nostra sic dictis, procax
Odia lacessis? perfice inceptum nefas :
Obtende fallax crimini iratos Deos.
Comperta res est : nutui addictus tuo,
Templi Minister fregit astrictam fidem,
Id te jubente. *Haz.* Affingis alienum scelus
Mihi frustra, in urbe, decus ubi, & nomen meum
Pu-

(a) *Superstitiosæ Ethnicorum in Sacrificiis observationes.*

Publica tuetur fama . *Sen.* Non vulgi ſequor
Voces inanes . Perage quod jubeo : aut cades
Tu prior ad aras . *Haz.* Juſſa , ſi culpa vacent ;
Statim faceſſam . *Sen.* Lex ſibi , & recti arbitra ,
Regum eſt voluntas : quæ libent Regi licent .
Haz. Imperia virtus fulcit . *Sen.* Hanc populi colant :
Premitur honeſti lege ſervorum genus .
Haz. Divos timere diſce tot fractus malis .
Sen. Niſi ipſe puerum ſoſpites , nulla eſt ſuper
Mihi timendi cauſa , & immites Deos ,
Quidquam rogandi . *Haz.* Tela ſævorum hoſtium
Adhuc recenti ſanguine aſſyrio madent ,
Sciſſæque crines flent adhuc viduæ Nurus .
Quocumque vertis lumina , attonitas genas ,
Pullaſque veſtes , funera , & lacrymas vides ,
Monumenta acerbæ cladis , Iſacidum intulit
Quam Numen . Et quid ſi paret clades novas ,
Sociaque jungat arma , pœnaſque exigat ,
Negati honoris ultor , Aſſyriæ Deus ?
Ultra morari non vacat : paucis loquar .
Vel da petitam victimam , vel ſi negas ,
Retineſque , certa moneo , majorem dabis .
Sen. Audes minari vile , deſpectum caput ,
Meique generis oſor ? Ite præcipiti gradu , (*b*)
Diruite ferro , & facibus auratas trabes ,
Succendite aras : unus abſumat rogus
Templum , & Sacricolas .

SCENA III.

Sennacherib. , Hazael , Saphaz .

Sacrilegi iuſſus executionem Saphaz , popularis tumultus narratione , impedit , Regemque furibundum removet a conſilio obviam ſe ferendi Populo armato . Exoratus Rex filium ſuum Aſar , in liberam Hazaelis poteſtatem tradit .

Saph. ARma , furiali impetu , (tim ,
Huc vulgus infert . *Sen.* Undenam , profer ſta-
Inopina fervent odia ? *Saph.* Regalem petunt
Sobolem litari : hæc una vox circumſonat :
Nunc , nunc regalis late cruor imbuat aras .
Quæ ſæpe populis injicere frænos ſolet

Re-

(a) *Imperat excubiis .*

Religio, ſtimulos addit. In cineres ruet
Auguſta domus hæc: triſte flammarum jubar
Latebras recludet: turba latitantem, extrahet
Furibunda, Natum. *Sen.* Mene degenerem minas,
Motuſque ferre plebis audacis? Juvat,
Juvat ire contra. *Saph.* Quo ruis? *Sen.* Quo me rapit
Paterna pietas, regni amor. *Saph.* Prolem hac via,
Regnumque perdis: reprime præcipites gradus.
Sen. Nil ergo tentem? Deſes, in rerum hoc ſtatu
Spectator adero? Non ita. Audendum eſt. *Saph.* Cave:
Audendo nam tecum omnia in præceps trahis.
Tuus ipſe, per me, Natus ad genua accidens; (a)
Quin Sponſa & ipſa, voce te ſupplex mea,
Rogatque lacrymis, ne velis fruſtra caput
Offerre letho. *Sen.* Deſine. Id nolim licet;
Timere cogor: fracta jam virtus labat.
Aſar parentem flectis: exarmas virum
Tu Sponſa.. Templi Præſes, oblitum volo
Quidquid paterno e pectore extorſit furor.
Haz. Tibi ſponte parco. Patrius egreditur modum
Amor, ubi ſoboli propius impendet, necis
Urgens periclum. At ſemitam rurſus preme,
Pes unde nuper excidit. Siquam notam
Contraxit animus, cordis abſtergat dolor.
Sen. Diſcede. Vittis tempora implicitum ſacris,
Lauriſque cinctum profer in medium, levis,
Ante ora plebis, fata ſubiturum, heu dolor!
Puerum immerentem, qui dein greſſum huc ferat,
Viventis oculos ut mea condam manu,
Oſculaque figam crebra, pallenti genæ,
Iteranda nunquam. *Haz.* Juſſa confeſtim ſequor.

SCENA IV.

Sennacherib, Saphaz.

Rex filii imminentem mortem deflet, dolori illius lenimentum aliquod Saphaz afferre conatur.

Sen. UBi ſum malorum cernis. Æquum num putas
Perire germen unicum noſtræ domus?
Quo regna recident? digna quæ ſceptrum manus
Accipiet? *Saph.* Hæres nonne adhuc ſupereſt tibi
Geminus? *Sen.* Quid addis vulneri vulnus novum?

 Uti-

(a) *Genu flectit.*

Utinam perirent ambo ! casum , quo premor
Minus dolerem . Siqua te pietas movet ,
Si quis amor animum tangit ; in nostrum latus ,
Pueri madentem cæde mucronem exige .
Vitam quid ultra protraho , mihimet gravis ,
Neglectus , exspes ? *Saph.* Terga Fortunæ dabis ?
Ubi priscus ardor , æneum & pectus malis
Indocile flecti ? Nauta cum pelagus furit ,
Tunc frangit undas arte , tunc urget ratem ,
Luctante Borea . Adversa fac desint , jacet
Inhonora virtus : nullus est laudi locus .
Sen. Desine rogare , ut hoc malum placido feram
Animo , traham que lentus invisos dies ,
Post sæva pueri fata , cum solum mihi
Supererit , Orbis unde me patrem sciat ,
Soboles pudenda , degener , vecors . Sequi
Præuntis umbram præstat , atque uno tegi
Utrumque tumulo : quin meam satius puto ,
Umbram præire . Mersus Acherontis sinu ,
Non te bipenni subdere augustum caput ,
Asar , videbo , membra , funereo rogo
Nec tua cremari . . *Saph.* Poscit , ut vivas , tuo
Peritura casu publica imperii salus .
Subeunda , Natus optat , hoc pretio sibi
Vitæ rependi damna . Quidquod , si fides
Est danda verbis , Natus emissa e sacris
Quæ nuper adytis audiit , læto exitu
Dirimenda res est : utque in Isaci vicem (a)
Suffectus aries , Patris elusit metum ;
Sic forsan externi , æmulus Dagon , Dei ,
Tuam periclo prolis expertus fidem ,
Tibi reddet illam sospitem . *Sen.* Luctum haud levat
Spes hæc inanis . *Saph.* Huc puer gressus movet .
Sen. O sæva species ! *Saph.* Corde nunc firmo est opus .



SCE-

(a) *Genes.* c. 22. 13.

SCENA V.

Sennacherib, Asar, Hazael, Saphaz.

Rex coram Filio infulis, & floreis corollis ornato amare conqueritur: questubus minas, & diras miscet. Demum, desperatione adactus filium Sacerdoti tradit, decernitque per subterraneam semitam, templum subire, ibique maledictis, & conviciis Dagonem lacessere.

As. O Care Genitor, moeror hic quorsum? gravat
Cur atra nubes ora? lætaris meo
Siccine triumpho? *Sen.* Sævus o fati rigor!
Itane paternos Fili in amplexus redis?
(*a*) Hæc chlamys? hic auro textus, & gemmis nitens
Frontis honor? hæccine fore, quæ de te mihi
Gaudia putabam? O vana spes hominum! o satis
Mihi flende nunquam! sceptra cui demens ego
Parabam avita: generis ultorem mei,
Patriique honoris vindicem, quem olim fore
Mecum ipse rebar. Vota cecidere irrita.
Assyria non tu sceptra regali potens
Geres in aula, terga non ferro minax
Hebræa cædes: nec trahes curru Duces,
Captosque Reges: nostra, non victor feres
Oscula, decoro pulvere, & clade hostium
Respersus arma. *As.* Omitte fletus, cur mea
Lugendo minuis gaudia? An miserum putas,
Qui morte, patrii sustinens regni decus,
Mutat perenni laude perituros dies?
Sen. Tergere madentes, sola mors poterit genas,
Moriar: per undas te sequar stygias: comes
Tibi adero ubique. Sed prius geminam tuo
Cineri litabo victimam: inferias dabit
Fraterna cædes. *As.* Verba si quidquam merent
Nati suprema, vive tu sospes: tuo
Uterque frater munere, æthereas trahat
Incolumis auras. Poscis, ut tecum Deus
Redeat amicum in fœdus, & renuis, tua
Cum Sobole pacem inire: nec satis est tibi
Me cadere acerba morte, nisi moriar nocens,
Debuit, & unde fluere communis salus,

 Fluat

(a) *Innuit infulas, & floream corollam, & alia ornamenta victimarum propria.*

Fluat inde Stirpis lugubre exitium tuæ.

Sen. Placare si tua, Numen iratum nequit
Virtus, honesti & cultus, & Populo diu
Spectata probitas; poterit id sensu carens,
Mutum cadaver? Nostra non curant: Diis
Nos vilis hominum turba, ludibrio sumus:
Volupe utque nobis est capere laqueis feras,
Captosque cervos sternere, ac torvos apros;
Mortale Divi capere sic gaudent Genus,
Ambage vocum, nosque, Sacricolæ manu
Impetere captos. *Haz.* Impia, effrænis dolor
In verba cogit. Parce jam dictis. Manet
Nos ara: nec fas protrahi ulterius Sacrum.

Saph. Quid plura? quidve luctui adjungis moras?
Sit ille saltem brevior, esse cum minor,
Leviorque nequeat. *Sen.* Ite; sed prius est opus (*a*)
Per vim potiri victima: hanc menti sedet
Gladio tueri. Vulgus insanum fores
Invadat: aulam subeat: hunc fodiat sinum.
Non poterit, aliter nobile hoc spolium mihi
Rapuisse. *As.* Care Genitor, hanç mentem exue.
Ego te, per hos, queis vincior, quosque osculor,
Exoro nexus. Hocne morituro paras
Nato levamen? Siccine accepto jacens
Vulnere, natanti & lumine inquirens Patrem,
Frustra requiram? Mater ecquo se, carens
Nato, viroque vertet? effusis comis,
Gemitusque fundens, atria hæc circum ruet,
Furentis instar. *Sen.* Ipsa vel pietas Patrem (*c*)
Sævire cogit. Perge jam, quo te vocant
Inimica fata. Ah fata!.. Crudeles Dii,
Explete diram, sanguine innocuo, sitim.

As. (*d*) Properate gressus: vos sequor. Vale interim,
Mi Genitor, & diu vale. Non me tui,
Lethæus amnis reddet immemorem. *Sen.* Gradum
Reflecte (*e*) Servet te modo incolumem Parens;
Hæc dextra sceptro careat: haud tanti est decus
Regalis ostri: repete Genitoris sinum.
Vixisse tecum liceat, aut tecum mori.

As. Quid rursus hæres? jam me in exitium trahet,

Ra-

(a) *Dextera gladium distringit, sinistra Natum apprehendit.* (b) *Osculatur illam ipsam manum Genitoris, qua detinetur.* (c) *Relinquit liberum Asar.*
(d) *Alloquitur Hazaelem, & Sacricolas.*
(e) *Iterum apprehendit manum Pueri.*

Rapietque vulgus. Audi ut elato fremit
Murmure, nec illi miles obsistit satis,
Clypeis, & hastis. *Haz.* Ducere haud ultra juvat,
Moras inanes. *Sen.* (*a*).. Dirus Eumenidum furor
Quo me redegit? (*b*) Ibo: nanque aditus patet,
Mihi notus uni. Corda Dagonis, si habet
Cor ille, nec iners truncus est, sensu carens;
Probris lacessam. Vel meum telis caput
Feriet, quod opto; impune vel tripodas, focos,
Arasque vertam, fiet & notum omnibus
Nullum esse Numen, nisi quod, artificum manu
Excudit ære, aut marmore insanus timor.

ACTUS V.

SCENA I.

Sarasar, Adrach.

Adrach imagine perpetrati parricidii territus, scelus execratur suum. Illum Sarasar ignaviæ redarguit. Ambo districtis gladiis, paterno cruore aspersis, in scenam prodeunt.

Adr. QUæ latebra, quisve me mihi abscondet locus?
Quonam recedam? Nitidus hic aulæ decor
Vividius animo crimen objectat meum:
Cruenta ubique imago mactati Patris
Me terret. *Sar.* Hæsi fateor, ut primum abditos
Subiit recessus Genitor: e dextra pavor
Excussit ensem; potuit hinc templi fores
Penetrare sospes: imo vel postquam stetit,
Numinis ad aram, pectus obtinuit rigor,
Retulique gressum. Sed manu intentans minas,
Comis revulsam dipsadem, in timidum impulit
Megæra pectus: vidi ego Eumenides meo
Instare lateri: raptus in cædem irrui,
Furore stygio; nec mora, aspersit cruor
Paternus ambos. Morte nunc diri tamen
Fruor Tyranni, gaudia & major mihi
Cumulat voluptas, quod necem hanc, facti auspices
Superi probarunt. Vix enim cecidit Parens

 Con-

(a) *Dextera innuit, ut discedant.* (b) *Suspenso vestigio aliquantulum hæret, deliberantis instar.*

Confoſſus amplo vulnere, effuſum ebibit
Dagonis ara ſanguinem, & circa, Dei
Micavit, ora fulgor inſuetus. *Adr.* Meum
Hæc læta nequeunt omina, interius latens
Lenire vulnus: utque jucunde ſapit
Nil ægro, anhela corda cui febris quatit,
Agitatque venas; nulla ſic potis eſt quies
Mulcere, trepido pectori incuſſos metus,
Cum quis ſeipſum conſcius culpæ arguit,
Taciteque damnat. *Sar.* Quis diu hos queſtus ferat,
Gemituſque inanes? Sume, quos læta exigit
Fortuna vultus. *Adr.* Criminis menti inſidens
Species, ubique viſui patrium exhibet
Lacerum cadaver. Vitreus haud aliter globus,
Si viret utrinque pervius luci; jubar
Concolor in oculos fundit, & circum omnia
Virere cernis. *Sar.* Futiles, ſceptri nitor
Fugabit umbras. Spectat at quorſum vacans
Proceribus aula, militum & nemo atria
De more ſervans? *Adr.* Populus in templum, ut puto,
Irrupit omnis. Sævus ecquem non trahat
Novitate caſus? Alia non levior ſubeſt
In morte Pueri cauſa, devinxit ſibi
Qui populi amores. *Sar.* Nempe cui Matris dolus,
Subegit animos plebis. *Adr.* Alienos dolos,
Puero quis unquam tribuat ignaro? *Sar.* Sile:
Itane tueris, qui prope abripuit mea
Mihi ſceptra? Jure ſceleris admiſſi reus
Arguitur ille, cui ſcelus prodeſt. Cadat
O utinam ad aras cæſus, atque umbram Patris
Comes ſequatur! Forte ſi Dagon ei
Ignoſcat; atros ipſe furtiva manu
Miſcebo ſuccos, tabe viperea cibos,
Pateraſque ſpargam. Vix brevem innectam moram:
Mihi non inulto primus orietur dies.
Adr. Nihil ergo amori dabimus? *Sar.* Imperiis regi
Jam diſce noſtris.

SCE-

SCENA II.

Sarafar, Adrach, Jadez.

Jadez nuntiat concurfum populi lætabundi in aulam, lætamque acclamationem, qua Afar fuerat Rex inauguratus. Sarafar, atque Adrach terrore compulfi, per eafdem latebras templum repetunt, ut inde per pofticum fugam ab Urbe capeffant.

Jad. AMbo præcipiti fuga
Eripite vos hinc. Omnis effufe ruit
Populus in aulam. Fronde præcinctus comas,
Victoris inftar, medius incedit Puer
Ereptus aris. Rex io, late undique
Ingeminat echo: Cælitum afpirat favor,
Hominumque Puero. *Adr.* Pro Dii! *Sar.* O fævæ vices!
Jad. Repetite latebras, unde per templi latens
Pfeudothyrum, in Urbi proximum annofum nemus,
Patebit aditus: pergite. *Sar.* Ad ftygios fpecus
Me rapite Erinnyes: at ibi occurram Patri.
Adr. Quocumque pergam, in corde carnificem fero,
Meum ipfe crimen (*a*). *Jad.* Vela convertam ftatim,
Quo prona ducit aura: Fortunam fequar.

SCENA III.

Saphaz, Jadez.

Jadez interrogat Saphaz de adventu Afar, ac ftatim difcedit: Saphaz interea fecum ipfe reputat, quam inevitabilia fint fata, modumque ponderat, quo Dagonis refponfa impleta funt.

Jad. AN redit in aulam nunc Afar? *Saph.* Sic eft: redit
Occurro, ut illi grater, & dextram ofculer. (*b*)
Saph. O fata nunquam Genere ab humano fatis
Cavenda! Rerum quam bene eventus, Dei
Refponfa pandit! Cecidit infelix Parens,
Imbuit & aras regius late cruor,
Merferit in undas ante quam Phæbus diem.
Ambos, cruore regio, Fratres truces,
Dirofque, miferi faucians Patris finum

 Afper-

(a) *Ambo raptim difcedunt.* (b) *Difcedit.*

Aſperſit enſis. Altera & quæ pars erat,
Jam regnat Aſar. Auguſta decorabit chlamys,
Regnantis humeros, ut gradum primo inferet
Suam hanc in aulam.. At ecce venientem præit (a)
Clangor tubarum: turba præcurrit frequens,
Sequiturque: longe major illius latus
Circumſtat avide, pedibus innectens moras.
Populus amore raptus en plaudens ſubit:
Utrinque reſonant atria harmonicis modis.

SCENA IV.

CHORUS.

Præcurrit tympanorum, tubarumque concentus: deinde prodit in ſcenam duplex chorus, militum nempe & plebis. Uterque alternis, novi Regis laudes canit, eique fauſta adprecatur.

O Rex Aſſyriæ, o decus,
Quem non ambitio invida,
Non ſortis favor evehit;
Sed mens provida Numinis,
Et vitæ tenor aureus
Te virtus decorat magis,
Quam gemmis chlamys aſpera,
Aurumque irradians caput,
Almus te quibus induet
Templi Præſes, & Arbiter.
Sis felix ter, & amplius:
Ardor, te Duce, militum
Aggreſſus nova prælia,
Reges finitimos domet,
Palmas aſſidue ferat.



SCE-

(a) *Incipit audiri ſonitus tubarum.*

SCENA V.

Asar, Hazael, Saphaz.

Asar ab Hazaele summo Sacerdote regiis insignibus, iuxta Assyriorum morem, ornatur: dolet de Patris sui cæde, eique solenne funus parari iubet. Demum ne cogatur fratres punire, pro illorum absentia vota facit.

Haz. VIgil Deorum cura, populorum favor,
Et labis expers te tua ad regum extulit
Spectata virtus.. Purpuram augustam indue:
Diadema frontem decoret: intrepida manu
Sceptra cape: solium scande, quo fultus rege
Assyriæ habenas. Prima sit tibi lex, Deos
Pietate colere: firmat, atque auget nihil
Regna magis. Aliis ipse dum leges feres;
Non ira præceps, nulla te spes, aut metus;
Sed amor honesti moveat, & Regni bonum.
Sic jura statue; juris, ut mixta æquitas,
Nimium rigorem temperet. Rex & Parens
Cura ut voceris: nomen & quodnam magis
Te deceat, anceps populus ignoret. *As.* Tua
Servabo monita. Primus est nunc sed labor,
Curare patrium funus. Ah possem meo,
Revocare in auras sanguine, inferno e lacu
Manes paternos: prohibet at reditum Stygis
In se recurrens gurges. Illos, quam lubens,
Per opaca sequerer nemora! Cur Fratrum furor
Mihi pepercit, citius &, quam par erat,
Lentus resedit? *Haz.* Ordine immoto regit
Moderator Orbis, cæca mens hominum putat,
Quæ forte fieri. *Saph.* Patris umbram nunc tuum est
Non sinere inultam. *As.* Crimen abripuit Patrem:
Pœna mihi fratres raperet. Ulcisci jubet,
Proibetque pietas. Melius ah melius foret
Redire ad aram, subdere & gladio caput!
Haz. Tu Superûm amore frueris: his omnem tui
Relinque curam. *Saph.* Quando communis boni
Id petere visa est ratio; stimulator fui
Lethum ut subires: cupio sed nunc, & bonum
Commune poscit, sospes ut vivas diu,
Diuque regnes. *As.* Vos Dii hinc saltem procul
Arcete fratres. Libya monstrorum parens

Excipiat ambos, orbe vel Thule ultima,
Disjuncta toto: nuntia illorum meas
Nec feriat aures fama.

SCENA VI.


Asar, Hazael, Saphaz, Jadez.

Jadez, ut sibi sceleris conscio impune sit, utque novi Regis gratiam sibi conciliet, fugam Fratrum, & quo pergant narrare aggreditur. Rex cui id ignorare, cordi erat, verba illius obiurgationibus intercipit, eumque, utpote Parricidii complicem, interfici iubet. Demum, ut communibus Populi votis indulgeat, ad se, regio cultu ornatum Populo ostendendum pergit.

Jad. QUam Fratres viam
Teneant, fugaces quorsus & pergant, statim
Rescire licuit. *As.* Ut Patri occulto e specu (*a*)
Struxere, forsan nunc mihi insidias struunt.
At esto fugiant, retegis hanc mihi cur fugam?
Jad. Ut tibimet ipse consulas. *As.* Regum sitis
Itane cruorem, ut cæde Natorum velis
Cumulare patriæ cædis horrorem? At tuam
Agnosco fraudem: crimini obtendis novum,
Scelerate crimen, gratiam utque ineas meam,
Hanc emere fratrum morte, sed frustra, studes
Jad. Tu poteris ambos vel reos merita nece
Plectere, vel illis parcere. *As.* Ah! neutrum licet,
Quin jura violem sanguinis: nanque aut meos
Damnare fratres cogar, aut umbram Patris
Deserere inultam. *Jad.* Sed ubi sint, quid Regi obest
Novisse? *As.* Quid obest improbe? An sciens sinam
Non luere pœnas? *Jad.* Sumere has poteris sciens.
As. Id posse nolo. Da, rogo, hanc veniam, Parens.
Jad. Verum ego putabam.. *As.* Nempe mihi gratum fore,
Ipsæ quod horrent nemoris hircani tigres.
Alienus utinam detur hostis, quem petat
Impune gladius, quin prius feriat meum
Mihi cor, acerbo vulnere! At coram datur.
Tuo est litandum capite adhuc circumvagæ
Genitoris Umbræ. Magna pars sceleris tua est:
Exsolve pœnas. Sic jubeo: Cadat hic statim
Transfossus ense. *Jad.* Causa inaudita cadam? (*b*)
As. De-

(a) *Ironice.* (b) *Jadez a Militibus abripitur.*

As. Decreta mors eſt. *Saph.* Pone jam curas leves.
Aſſueſce Regno. Stravit invictos Duces,
Fortiaque bello pectora, id te non latet,
Inopina clades. Utiles armis viros
Sub ſigna coge: nanque ſi rurſus tumens
Inſurgat hoſtis, gentis ecquidnam audeant
Reliquiæ inermes? *Haz.* Carmina audita, & Dei
Statim repulſa nube ferali, jubar
Placida ſerenans ora, populorum favor,
Tua ipſa virtus, læta portendunt. Age
Jam ſpe triumpha. Fronte, quæ in cives tuum
Præferat amorem, perge. Te populus frequens
Videre amictum regio ornatu cupit.
As. Jam pergo: poſthac juſta perſolvam Patri.



EVILMERODACH

TRAGOEDIA IV.

ARGUMENTUM.

Nabuchodonosor Chaldæorum Rex ferinam vitam, seorsim ab hominum societate, & convictu traducens, septem annorum spatio sacrilegæ arrogantiæ pœnas Deo persolvit: quo tempore elapso, salutariter pœnitens, fuit in pristinum vitæ, & felicitatis statum restitutus, ut habetur Daniel. cap.4. *Cum vero aliqua ad hanc historiam attinentia, de quibus ex sacris litteris nihil certi habetur, in disceptationem, & controversiam ab Interpretibus vocentur: nimirum qua ratione Nabuchodonosor in belluam transformatus fuerit? Quænam fuerit ipsi causa fugæ? Quandiu, post illius restitutionem in integrum, supervixerit? duplexne, an unicus fuerit illi ex sua stirpe successor? nos Tragœdiæ nostræ accommodatiores opiniones sequimur. Et primo quidem putamus fuisse Nabuchodonosor, quoad externam corporis conformationem, reipsa, & non in speciem tantum, immutatum. Secundo inopinæ coniurationis metu perculsum e regali Babylonis aula in latebras nemorum aufugisse. Tertio restitutum in pristinum, e vita, breve post tempus migrasse, exitu sane felicissimo, quippe qui a laudabili vivendi suscepta ratione deflexit nunquam, ut coniectant* Epiphan. August. Theodoret. *aliique apud* Jac. Tirin. in commentar. in Daniel. *Demum Balthasar, & Evilmerodach non unum, eundemque, sed duos fuisse: alterum scilicet Nabuchodonosor filium: nepotem vero alterum. Cuius rei coniectura ducitur* ex Jerem. cap.27. *ubi de Nabuchodonosor hæc habentur.* Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus. *Jamvero paucis hisce positis, Tragœdiæ argumentum, seriemque totam subnectimus.*

Artabanus uxoris Nabuchi frater, & Evilmerodach avunculus regnum, ad quod sibi malis artibus comparandum, nihil intentatum reliquerat; opera demum, atque astutia Asaph, supremi militum ducis, inique usurpat. Sed qua die Rex inauguratur, Dei iussu Daniel spargit in vulgus, quod reapse erat, Evilmerodach scilicet Nabuchi filium in ipsa Babylonis regia commorari. Eo quippe, aliquot annos ante redierat, ipsique, quantumvis aliis omnibus, præ-

præter Danielem, ignoto, intima cum Beradan, Artabani filio familiaritas intercedebat. Divinitus immutata oris species in causa erat, cur ab omnibus alienigena reputaretur. Vix repentinus hic rumor per Urbem divulgatur; statim commotus populus tumultuari cœptat: quod ægre ferens Artabanus, lapidem omnem movet, ut quisnam, & ubi sit Evilmerodach, a Daniele exsculpat. At frustra: quamobrem eum in arctissimum carcerem coniici iubet. Evilmerodach interim, commentitio nomine Nadab appellatus, ut Danieli vita periclitanti consulat, conditionem suam, Artabano retegit: qui, cum veteris formæ, ne vestigium quidem in illo agnoscat, verba illius, tanquam artificiosam adolescentis, Danielem commiserantis simulationem accipit: tanto magis, quod gravior sic accipiendi causa accedit: nam Arisba, Evilmerodach olim altor, & custos, qui dum hæc geruntur, post diuturnam absentiam Babylonem redit, eum esse suum alumnum, Artabano coram negat, & pernegat. Quin Daniel ipse, de cuius vita tuenda agitur, rationes omnes, quibus Evilmerodach veritatem suadere conatur, ambiguis verbis retundit. Rebus ita se habentibus, Daniel cogitatione a Deo iniecta intelligens, Nabuchum in pristinam formam restitutum, regalem in hortum non procul ab Urbe situm pervenisse, Beradan sequestre, & conciliatore usus, Artabano pollicetur, se inde Evilmerodach, in aulam reducturum, si eo proficiscendi facultatem impetret. Annuit Artabanus: hanc tamen novam Danielis fallaciam esse suspicatus, illuc Asaph cum forti militum manipulo mittit, ut Danielem, in oculis omnium falsitatis convictum, capite plectat. Verum res longe secus, ac ipse opinabatur, accidit. Ibi enim Nabuchus, & Evilmerodach lætis militum, populique gestientis acclamationibus excipiuntur. Rerum novitate territus Asaph, veniam impetrandi causa, sui, & Artabani dolosam machinationem omnem sincere aperit, quem nihilominus Nabuchus, eadem morte, quam ille in Danielem clanculum moliebatur, statim puniri iubet, eiusque rescissum caput mittit ad Artabanum, qui Danielis caput cupidissime opperiebatur. Postremo eo temporis momento, quo Artabanus in Evilmerodach, qui Genitoris sui adventum præcurrerat, gladio districto irruit; Nabuchus opportune subit, manumque iam vibrantis ictum cohibet. Horrore perculsus Artabanus hæret primo, mox in rabiem actus Nabuchum diris omnibus execratus, præcipiti fuga discedit, nec multo post, coram filio suo Beradan se interficit.

PER-

PERSONÆ.

NABUCHUS *Chaldæorum Rex.*

EVILMERODACH *Filius Nabuchi, qui commentitio nomine Nadab appellatur.*

ARTABANUS *Uxoris Nabuchi frater.*

BERADAN *Artabani filius.*

DANIEL *Propheta.*

ASAPH *supremus militum Dux.*

ARISBA *Senex, Evilmerodach olim altor, & custos.*

Scena in Aula Regia Babylonis.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

Artabanus, Asaph.

Artabanus teterrimis agitatur spectris per somnum visis: quam ob causam Danielem somniorum interpretem arcessiri iubet. Illius animum erigit Asaph homo flagitiosissimus, cuius ope, Artabanus regnum sibi usurpat.

As. OPTATA demum fulsit huic regno dies,
Qua sceptra capias. Jam faces Babylon parat,
Lætosque plausus: vulgus impatiens moræ,
Furentis instar compita, & Procerum domos
Concursat amens.. Ora sed quænam asperat
Insueta nubes? *Art.* Gerere Nabuchi vices;
Postquam Senatus cœpit, ac rerum integram
Versare molem, donec alius eligi
Rex posset, illi propior & stirpe, & gradu,
Qui latuit ignotus diu; duce te, nihil
Reliqui inausum, pronam ut ad regnum mihi,
Tutamque sternerem viam. At vehementior
Arsit cupido? cum Augur admonitus Deo
Jubente, miseri protulit Regis novum,
Penitusque inauditum ante supplicium. Tuis
Tunc usus, ut scis, arte, consiliis, ope
Proceres labantes impuli, & nostras sequi
Partes coegi: quodque mirandum est magis,
Fere nemo, ut ante, quærit, occultam fugam
Patris secuta regia an proles, adhuc
Superstes auras ducat, an letho dies
Clauserit acerbo. Quidquid in votis erat,
Jam teneo: sævus attamen cordi incubat,
Gravatque sensus moeror. *As.* Est quænam tibi
Mœstitiæ origo? *Art.* Noctis hesternæ sopor,
Quam dira, meminisse horreo, menti obtulit
Simulacra rerum! Visus est rabidus leo
Me ruere contra, jura cum populis darem,
Præcinctus ostro. Turba quæ circum frequens

Affusa genibus aderat, extemplo fugæ
Terga dedit. Ille murmure horrifico fremens;
Meis ab humeris purpuram postquam invido
Detraxit ungui, regium abreptum ex mea
Diadema fronte, tumidus imposuit suæ;
Restinxit avidam non tamen nostro sitim
Cruore: abire licuit; abeunti sed en
Inopinus ensis, dexteram haud novi, fugam,
Vitamque rapuit. Omen o sævum! o Deûm
Fatale monitum! *As.* Mille stagnante in lacu
Describit orbes, pueri ut impactus manu
Lapillus undæ, spectra sic mille excitat,
Si forte rapido bilis excursu impetat,
Agitetque cerebrum. Pone fœmineos metus.
Pollens quis unquam mente, Cælicolas putet
Somno jacentes alloqui? In dubiis timet
Si rebus aliquis; primus ego sum, quem tamen
Non vana terrent somnia. *Art.* Exemplo patet,
Quam sint timenda. Ad astra quæ tulerat caput, (a)
Totumque ramis arbor umbrabat nemus,
Corruere visa, fortis adversæ fuit
Verax imago. *As.* Plura sic forte accidunt,
Ut illa credat quisque consilio regi.
Projecta casu nonne, quem lusor cupit,
Poscitque numerum, tessera interdum exhibet,
Facie supina? Sed ut ut hæc fuerint, moras
Abrumpe citius: plebis instabilis favor
Se vertit, aura levior: actutum cape
Imperii habenas. Properus abscedo: statim
In æde cogam principes regni viros,
Qui more patrio inaugurent Regem. *Art.* Instrue
Sic res, ut omen noctis infaustæ leves
Abeat in auras. Militum in cœtu palam
Sæpius id insta: in Regna fatales vices
Invehere Regem, qui sit invisus Diis.
Nabuchus odio fuerit an Superis, fatis
Insueta docuit pœna: nam nemo induit,
Ut puto, ferina membra. Metuendum adjice,
Ne pœnam eandem, Patris imitator ferat,
Pariterque Natus ungulis putres agros
Signet, bisulcis. Ille sed certo diem
Obiit supremum: quippe cum Genitor, fuga
Conferret alio sese, & armatas, petens
Nemorum recessus, plebis effugeret manus,

Ti-

(a) *Dan.* c.4. 11.

Timidus receſſit, ſeptima & lapſa eſt hiems,
Licuit nec unquam ſcire, ubi maneat. Patrem
Forſan ſecutus jacuit, immanis feræ
Morſu peremptus, cæſus aut furis manu.
Aſ. Munere Deorum penitus extinctam puto
Stirpem cruentam, ut alma Pax ſedem diu
Babylone teneat. Patimur ærumnas adhuc,
Quas peperit olim Martis inſanus furor.
Redimita lauris, flevit heu quoties ſuos
Babylon triumphos! *Art.* Præſtat, hoſtilis niſi
Ambitio ad arma cogat, in regno auream
Pacem tueri: ſæpius Regnis obeſt
Inferre bella, quam pati. Alpino e jugo
Inſtar ruentis amnis, opponit moras
Cui nullus agger, militum effuſe ruens
Impetus in hoſtes, civium agros, & domos,
Templa ipſa vertit. Populus id certo ſciat,
Nunquam futurum, finitima regna ut prior
Armis laceſſam: pacis, & recti tenax
Proprium tuebor. Læta confertos agros
Fluitare ariſtis, ludere innocuos greges
Chaldæa cernet: pecora non miles rapax
Abiget: virentes enſe non ſegetes metet:
Pingui nec olea, aut vite ſucciſa dabit
Alimenta flammis: Patriæ cuſtos ero,
Regnique tutor. Perge (*a*).. Quo properas? citos
Suſpende greſſus. Cor mihi inopino gelu
Diriguit: ipſa quin fere ante oculos redit
Nocturna imago. *Aſ.* Sperne, queis luſit ſopor,
Umbras inanes, ac tua, ut fortes decet,
Permitte Superis fata. *Art.* Danielem huc prius
Arceſſe velox: mox pari & cura, & fide
Inſiſte cœptis. *Aſ.* Tibi via ad ſolium patet:
Cur trepidus hæres? Grandibus, vilis timor
Sæpe obſtat auſis (*b*). *Art.* Fretus aſſenſu Ducum,
Populique amore, ſim licet regno imminens,
Metuere cogor.

SCE-

(a) *Abeuntem revocat.* (b) *Diſcedit.*

SCENA II.

Artabanus, Beradan, Nadab.

Beradan parentem ſuum Artabanum ad moras omnes abrumpendas hortatur. Qua occaſione neceſſitudinem, quæ alteri cum altero erant, Beradan, & Nadab coram Artabano oſtendunt.

Ber. GEnitor hic ducis moras?
Urbs tota, veluti ſede dimota e ſua
Exilit, & ultra protrahi ægre fert ſua
Iterata vota. Verſis, militum quamvis cohors
Tueatur haſtis, Curiæ impulſas fores;
Repellit ægre plebis ingreſſum: undique
Tollitur ad aſtra plauſus, & nomen tuum
Per ora volitat. *Art.* Totus haud plauſu impari
Reſonuit æther, cum triumphali via,
Nabuchus olim, domita ab Aſſyria, hanc ſuam
Repetiit Urbem, rediit aut Solyma, trahens
Gemmante vinclo currui innexos Duces, (*a*)
Victoſque Reges. At hominum o fallax fides!
En ſubito in illum vulgus exarſit, furor
Impulit in arma dexteras. Exul ſua
Rex ipſe ab aula petiit, abreptus metu,
Latebras ferarum. *Ber.* Bellico nimis æſtuans
Ardore, plura ſubiit, audaci gradu
Pericla, quam, quæ poſceret regni ſalus:
Aucta hinc ttibuta, militum & large cruor
Effuſus, æqua motuum vulgi, ut reor,
Fuere origo. *Art.* Eſt pervigil populorum amor
Tutela Regum firmior. Miles frequens
Fruſtra tuetur atria, odium ſi latens,
Animiſque inhærens, clanculum inſidias ſtruit.
Nad. Certa hæc. Meretur ille ſed veniam: modum
Servare nequeunt arma, nec frænis regi
Poteſt, cruenta cæde conſperſus ſemel,
Victorque gladius. Nequeo, dum mentem ſubit
Heros in Orbe notus, & fama inclytus,
Cohibere lacrymas (*b*).. Nuncia eventus recens
Ut fama tetigit Perſidem, lætos dies
Ubi, Cyri ephebos inter exegi puer;

Pro-

(a) *Lib.4. Reg. c.24. 15., & c.25. 8.*
(b) *Naturalis erga ſuum Genitorem animi motus.*

Proceres, Ducesque, Marte præstantis viri
Movere casus. Flevit hos Cyrus, suo
Pulsumque regno, mente non æqua tulit,
Quem timuit hostem. *Art.* Flebile exemplum & meos
Deterret animos: causa sed gravior subest,
Cur sceptra timeam.. *Ber.* Quæ tenes, minuit bona
Timor malorum, quæque formidas mala,
Auges timendo: levius inopina afficit
Ærumna miseros. Fruere regno, dum licet,
Perinde fata lege persistunt sua
Immota. *Art.* Capiti sæva si tantum meo
Impendeat procella, tacitus hanc feram;
Tua damna ferre nequeo, quæ secum trahet.
Mihi crede, regnum, lætus obeunda statim
Vel morte redimam, tu modo imperii diu
Hæres paterni, libera Euphratem, ac Tigrim
Ditione teneas: parvuli, & circa latus
Placida sequentis otia, & senio gravis,
Ludant nepotes. *Ber.* Mene, quod patrius cruor
Infecit ostrum induere? non tanti æstimo
Garamantas, Indosque super imperii ultimos
Proferre fines, solis & late domum
Potiri utramque. Mitte sed vanos metus.
Paterna capiam sceptra, tranquillo exitu
Postquam supremum serus obieris diem.
Tunc vero id unum dulce mihi fuerit, Deos,
Hominesque testor: posse me donis tuam
Cumulare, Nadab, cognitam, ac stabili, fidem
Usu probatam. Primus a Rege, exiges
Obsequia Procerum, & suppari elatus gradu,
Populi regentem fræna, consilio reges.
Nad. Super omne donum cupio, gloria ne tuis
Quæratur armis; me nisi in partem voces
Æquam laboris. Bella si ductor geras;
Tibi comes adero: te per abruptas sequar
Rupes euntem, perque monstriferas plagas,
Sequar rigentes, sive percurras vias
Gelida sub Arcto, sive quæ solis face
Arent propinqua: te sequar terræ ultimos
Ad usque tractus. *Art.* Fœdus ut amicum pares
Vos junxit ambos; læta sic jungat pari
Fortuna cursu.. Accitus at Daniel subit:
Hinc propere abite. *Ber.* Refero properanter gradum,
Brevi ut futurum nunciem adventum tui.

SCENA III.

Artabanus, Daniel.

Daniel somnii narrationem intercipit, partemque illius præoccupat: ambiguis deinde verbis somnium interpretatur.

Art. EVolve casus, quos mihi incertis sopor
Portendit umbris: munus insuetum haud rogo,
Animo nec unquam munus acceptum excidet.
Dan. Nisi mihi inertem numine impulerit Deus
Propiore mentem; nube terrena premor,
Eniti & illuc nequeo, supremi Arbitri
Mens ubi futuros temperat rerum exitus,
Suisque causis nectit. *Art.* Ætherea cares
Nunc luce, posco cum tuam supplex opem.
At experiri liceat. Immanis leo
Ante ora visus, placida cum somni quies
Mulceret artus. *Dan.* Ungue qui primum irruit
Regale in ostrum, mox truci imposuit suæ
Diadema fronti. Victor hæc postquam tulit
Opima de te spolia, marmaricus furor
Resedit ultro: sospitem hinc retro gradum
Te ferre licuit; nisi quod abeuntem manus
Ignota ferro petiit. *Art.* Ut narras, fuit.
Obstupeo! visa retegis at frustra, siles
Si quæ cavere debeam, aut prudens sequi,
Quidve ira Superûm minitet. *Dan.* Haud raro Deus
Occludit ora vatum, ut in pessum ruant
Consilia Regum. Tenue per vestigium
Sed saltem ut aliquid mente conjectes, velim
Tecum ipse reputes pauca, quæ subdo statim
(a) *Assyriæ late Genitor dominabitur, una*
Cui tantum Soboles, quæ sit tamen unica quamvis,
Heroum numerum ingentem virtutibus æquat.
Jam pridem colit hæc regalia tecta: Parentis
Hæc, breve post regnum, sceptro potietur avito.
Art. Agnosco, nostras ore blandiloquo studes
Mulcere curas: mitte fallaces sonos,
Mea fata clare loquere: Rex ero, an secus?
Dan. Eris. Rogare plura ne pergas. Deus

Mihi

(a) *Vaticinium anceps, quod referri potest & ad Filium Artabani, & ad filium Nabuchi.*

Mihi Deus adſtat, digitum ad os referens, loqui
Qui plura tecum prohibet, & vultu minax
Hinc jubet, ut abeam. Juſſa confeſtim ſequor (a)
Art. Regnabo; habenda ſi fides vati . . At brevis
Erit voluptas, quam diu cupii . . Miſer,
Occulto ab hoſte, cæſus occumbam . . huc leo,
Ignota dextra huc ſpectat . . Eſt porro meus,
Qui ſceptra capiet Natus. Hic nempe unicus:
Hic mecum in aula vivit: hic . . .

SCENA IV.

Artabanus, Aſaph.

Aſaph iam convocatum eſſe Senatum Artabano nuntiat: eumque de rumore in vulgus ſparſo, eiuſdemque auctore certiorem reddit.

Art. AGe quo loco
Sunt res? *Aſ.* Coactus jam tui adventum manet
Senatus. Omni ex parte ſed lætum eſt nihil.
Art. Mali quid affers? *Aſ.* Rumor inopinus palam
Per ora ſerpit: vivere incolumem, tua
Hac ipſa in Urbe regia, Evilmerodach,
Quem regno, acerba quiſque præreptum nece
Jam dictitabat. Pulſa ab Euris in leves
Ut flamma calamos, undique excurſu celer
Accumulat ignes ignibus, ſecum obvia
Alimenta raptans; ſic recens fama hæc magis,
Magiſque in horas crebuit, poſt ſe trahens
Judicia vulgi. *Art.* Fabulæ & quiſnam fuit
Quis auctor? *Aſ.* Ut puto, Daniel. *Art.* Mecum ſed hic
Aliter locutus nuper. *Aſ.* Ambiguis, tegit
Vocum involucris ſenſa; res quoquo modo
Cadat, doloſum, poſſit ut nemo virum
Arguere falſi. *Art.* Turbane Procerum approbat
Commenta vatis? *Aſ.* Seſe ab aſſenſu prius
Suſtinuit, hæſitque: mihi ſed tandem manus
Dediſſe viſa eſt. Augur inſtructus dolis,
Pollenſque fandi copia, ecquem non trahat,
Verbiſque capiat? Fama, quæ perhibet, Deo
Similem, futura cernere, & ſpatio procul
Diſiuncta, dictis pondus addit, nec leve
Addit, doloſa fronte, quem ſimulat pudor.
Art. Contra nec ullus obſtat? *Aſ.* Arduum eſt nimis,

Cum

(a) *Diſcedit.*

Cum forte præceps agmine undarum ruit
In prona torrens, non rapi, & firmo pedis
Veſtigio obniti. Adde, quod ſtygias ſuæ
Scit gentis artes. Quiſque nam, molli haud ſecus
Ac in roſeto, vidit expertes metu,
Hilareſque pueros inter ardentes rogos,
Medioque in igne ludere, ac dextra leves
Sequi favillas. *Art.* Ergo, me miſerum! ſpei
Huc ſumma recidit? *Aſ.* Imo nunc melius tuis
Confide rebus. Mille quam Vatis doli,
Fraudeſque, & artes mille, plus poterit metus.
Ferarum in antra pulſus e regno Parens
Menti recurret: vindicem Nati manum
Hinc jure metuent. *Art.* Auguris an ore excidit
Vox ulla, Pueri quæ ſit index, aut loci,
Latet ubi clauſus: quippe quì fieri poteſt;
Niſi forte lateat, notus ut vultu Puer,
Populi tot oculos fallat? Annorum brevis
An curſus ora penitus induxit nova?
Compleràt ille luſtra, ni fallor, tria
Cum fugit, & vix alter a ſexto, ſuum
Orbem peregit annus, ex quo ſe fuga
Subtraxit urbi. *Aſ.* Nec loci indicium dedit,
Nec Pueri. Inani fraude ſe, iuſſu Dei
Silere fingit: ſicque ut inſidias tegat,
Mediuſque nemo occurrat, ignotum, vafra
Obtendit arte Numen. *Art.* Hæc quorſum attinent
Commenta? *Aſ.* Quorſum? Fabula hac quærit dies,
Quæ tibi parata eſt protrahere ſorti. Tuum eſt
Curare, in ipſum recidat ut fraus. *Art.* At ſibi
Quid quærit hiſce fraudibus. *Aſ.* Id unum: favor
Ut nempe, & ardor plebis, injecta quaſi
Subſidat unda: cumque vir fallax ſciat,
Qua pollet arte, volvere huc, illuc leves,
Rudeſque mentes, illico ambages novas,
Novaſque technas nectet, ad ſolium evehat,
Amico ut aliquem fœdere aſtrictum ſibi,
Suæque amantem gentis: id quod ſi obtinet,
Aſſyrii, ut ante, flectet aliena manu
Imperii habenas: arbiter Regis premet,
Ut ante, Proceres: ſpernet & noſtros Deos,
Sacroſque ritus. Fallet eventus tamen
Vota hæc iniqua: tuque ne differ, ſtatim
Potire ſceptro. *Art.* Res ſita ancipiti in loco eſt,
Metum inter, & ſpem. *Aſ.* Spes tamen vincet metum.

ACTUS

ACTUS II.

SCENA I.

Daniel, Nadab.

Daniel blandis verbis ſolatur Nadab, ob rumorem ſparſum in vulgus, ſibi ab Artabano timentem, eique regnum portendit, futuroſque eventus obſcure indicat. Ambo colloquentes in ſcenam prodeunt.

Nad. QUidnam rependam? Te auſpice arripui hinc fugam,
Ac tutus abii: te auſpice huc retuli gradum
Incolumis. At nunc pectus exanimat metu,
Inſtans periclum. Suſpicax jam Rex timet,
Quæritque. In hoc rerum ſtatu, quid inops agam,
Inermis, exſpes? Navita, ut mota furit
Cum pelagus hieme, luce nec amica viam
Sueta retegunt aſtra, quo flectat ratem
Incertus, hæret. Syrtibus claudi hic timet:
Illic repente offendere æquoreo in ſinu
Scopulos latentes: jamque naufragium latens
Quavis in unda metuit; haud mihi mens ſecus
Suſpenſa nutat. Dona, fallaces dapes,
Servos, propinquos, omnia ambiguus timor
Cogit metuere. Avunculi proh quam fremet
Ambitio, regni cupida? In me quam furens
Inſurget, inſtar tigris hircanæ, latus
Cuj pupugit haſta. *Dan.* Frænat oceanum levi
Qui circum arena, ſidera & nutu movet,
Præſto erit, opemque rebus afflictis feret.
Nonne tulit huc uſque? Ille perfecit, tui
Species ut oris fallat intuitum obvii
Cujuſque civis, lege nec lux, qua ſolet,
Cupidos in oculos reſiliat: non te ſatis
Celaret, arctans more perſarum latus,
Breviorque veſtis, nec ſatis coma non ſuum
Simulans colorem. Hæc vana, vix caperent rudem
Figmenta plebem. *Nad.* Timeo ne hunc ipſum dolum
Cognoſcat aliquis. *Dan.* Novit hunc nemo hactenus.
Si hac ipſa in aula regia, in lucem dedit
Ubi te tua Parens, & ubi te inſtituit diu
Senex Ariſba, fallitur quiſque, & quidem,
Etiam relicta Perſide, es poſtquam redux

Hic

Hic commoratus, temporis ſpatio haud brevi;
Cur error idem deſinat, dum illo magis
Opus eſt? *Nad.* Ariſba ſi redeat; illi, ut puto,
Notus ero. *Dan.* Si res id tua repoſcat: ſecus
Eris nec illi notus. At ſpera interim.
Ultio parata eſt: ſummus inſiſtet viam,
Quam ſubiit Ultor, opere ab incepto manum
Nec ante tollet, quam te in antiquum gradum
Reſtituat. *Nad.* At quando id erit? *Dan.* Ante quam diem
Hunc, mergat æquor. *Nad.* Egone chaldæi regam
Imperii habenas? *Dan.* Tertiò at poſtquam ſeges
Cumularit agros. *Nad.* Interim ſceptrum geret
Alius, opinor. *Dan.* Alius. *Nad.* An junctus mihi
Sanguine? *Dan.* Tibi quidem ſanguinis nexu, magis
Sed amore junctus. *Nad.* An meus Beradan? *Dan.* Senex
Eſt hic, propera quem mors premet. *Nad.* Quiſnam? *Dan.*
Hæc ipſa reteget. Dùm tuæ at Superi parant (dies
Diadema fronti; diſce virtutem ſequi.
Qui ſtatuit aliis jura, ſibi recta imperet,
Caveatque ſolers, ne quid incautum pedem
Retrahat honeſti e ſemita. Regum domus
Pellucet omnis: inde vivendi capit
Sibi quiſque normam: nec ſequi populos pudet
Exempla Regum. *Nad.* Monita ſervabo memor.
Dan. Antiqua non te decora Majorum efferant,
Titulique, opeſque. Vera laus eſt, quam parit
Sibi quiſque factis. Degener celſos Avos
Oſtentat hæres. Stirpe ſic firma carens,
Humique reptans hedera, viridantes comas
Ad aſtra tollit, non ſuo, implicitis fibris
Innexa trunco. Cupio ne memori inſuper
Labatur animo Genitor infelix. Habes
Documentum ab illo, quo ſit obſequio, & metu
Colendus ingens Terræ, & aſtrorum Sator,
Regumque domitor. Cautus alieno eſt opus
Sapias periclo; ſera poſteritas tuo
Ne ſapiat olim.

SCE-

SCENA II.

Artabanus, Daniel, Nadab.

Artabanus, qui regiis insignibus ornatus prodit in ſcenam, conviciis, minisque conatur a Daniele exſculpere, quisnam ſit Evilmerodach, & ubinam lateat? Sed Daniel omnes illius conatus mira dexteritate eludit, hinc Artabani iuſſu in carcerem coniicitur.

Art. FAbula hæc quorſum? quis hic,
Et ubi moratur, eſſe quem fingis mea
Sorore, miſero & Rege Nabucho ſatum?
Dan. Quem fingo, nuſquam, & nullus eſt. *Art.* Eſto, ut (putas
Sit ille Regis filius, quonam in loco
Latitat. *Dan.* In oculis omnium ducit dies.
Art. Forſan propinquo in oppido? vel.. *Dan.* Nil minus.
Babylone vivit. *Art.* Unde furtivum gradum
Huc ille retulit? *Dan.* Non ego abeuntis fui
Comes, aut revertentis: pedem hinc quippe, ut patet,
Nunquam removi. Ariſba comitatus fugam,
Brevi redibit: poteris exilii locum
Reſcire facile. *Nad.* [Lætus ampleĉtar ſenem]
Art. Regalis altor hic erat Pueri. At Puer
Ubinam moratur? *Dan.* Siccine id rurſum petis?
Hac ipſa in Urbe? *Nad.* [Subſilit trepido metu
Mihi peĉtus] *Art.* Ecquis ille? *Dan.* Cur iterum rogas,
Quod ſcire metuis? Ille Nabucho eſt ſatus.
Art. Licuit reverſum noſſe de facie? hæc loquax
An fama perhibet. *Dan.* Noſſe nunc etiam licet.
Art. An alius ipſum vidit? *Dan.* Alienos ſubit
Ignotus oculos; quin frequens ſubiit tuos,
Mihi notus uni. *Art.* Reprime mendaces ſonos,
Veterator effrons. *Nad.* Vera perplexis modis
Vates loquuntur. *Art.* Nonne portendit mihi,
Natoque regnum? *Dan.* Jamque habes. *Art.* Populo inte-(rim
Obtrudis alium. *Dan.* Qui tamen non te gradu,
Natumque moveat: nanque non ipſe imperj
Succedet hæres. *Art.* Ergo ſuccedet meus
Beradan. *Dan.* Nec ipſe. Regia haud binos capit.
Cur Hæc propinquum Avunculi adſciſcant genus
Regna, quibus hæres ſuppetit? *Art.* Quinam eſt ſuper,
Qui ſceptra teneat? *Dan.* Scire ſi quæris; vir eſt (*a*)

F Se-

(a) *Prophetice prænuntiat Nabuchi reditum ad Regnum, illius Succeſſores Evilmerodach, & Balthaſar, ſibique ventura, poſt Chaldæam a Perſis captam.*

Senior, honesti cultor, & qui non sibi
Debita Tonanti poscet obsequia: at memor
Olim superbi Regis, ad pastum, feras,
Brutasque pecudes inter abjecti, colet
Pietate Numen. Tertius regnum illius,
Vitamque claudet annus. Imperii dein
Rex fræna capiet junior, recti tenax,
Pacisque custos. Hic premet molli jugo
Populos inermes. Rebus exitium feret
Sed qui sequetur: sacra nam postquam Deo (*a*)
Polluerit audax pocula, incestis labris;
Regni, suique scripta in adverso leget
Pariete fata: nec mora, extemplo ingruet
Rex medus Urbi, victor.. Huic Regi intimus,
Nomen, decusque, non sine invidia geram;
Atque hinc leonum rictibus, Procerum dolo (*b*)
Exponar insons: hos tamen nostrum ad latus
Jacere cernam innocue, & oblitos sui,
Libycique nemoris. *Art.* Pertinent quorsum hæc? Ve-
Tua dicta reputes. Regiam nonne incolit, (lim
Qui avita capiet sceptra, Genitoris breve (meos
Post regnum? *Dan.* Et iterum fateor. *Art.* Hunc jubeo
Subire vultus. *Dan.* Astat: ipse, quem coram vides, (*c*)
Ipse est, vel alius nemo. *Nad.* Ego? haud me tam inclyto
Honore dignor. *Dan.* Cerne florentes genas
Qui decor honestat! quantus ex oculis micat,
Tenerosque vultus efferat Martis rigor!
Quid plura memorem: totus in vultu est Parens.
Art. Illudis etiam? jussa vel fac, vel dabis
Inique pœnas: subiget invitum dolor,
Quæcumque cælas, edere. *Dan.* Cave ne magis
Silere cogat. *Art.* Ante sed coget loqui.
Post latera adusta, & ungue discerptas fibras,
Concisa ferro membra, mors laceros diu
Errans per artus, sera tibi rapiet diem.
Dan. Ferus hic paratus, mortis imminuet metum:
Art. Magnifica reprimet verba lictorum furor.
Dan. Deus hunc retundet. Visus a te sed leo
Frendens, furensque, cinctus & serto caput,
Nunquam relinquet spolia, quæ victor feret.
Art. Mea fata demum pandis, ut subdas novos

Sti-

(a) *Dan. c.5. 8. 30.*
(b) *Dan. c.6. 16.*
(c) *Sincera veritatis manifestatione Artabanum in suo errore confirmat..*

Stimulos dolori. Nullus aſtat nunc Deus (*a*)
Qui te ſilere jubeat. At ſæva omina,
Larvaſque diræ noctis, oblata Inferis
Victima piabis, ore ni retegas, tegis
Quas corde fraudes. Necto quid vanas moras?
Huc aliquis. (*b*) Hoc monſtrum avehite: clauſum gemat
Tenebroſo in antro. Morte vel acerba cades, (*c*)
Tacitos vel imo e pectore effundes dolos

Dan. Quis te furor agit? Numinis vindex manus
Aptat ſagittas arcui, & demens caput
Opponis ultro. (*d*) *Art.* Perge. Latebroſo in ſpecu,
Perennis Augurem ſuum excipiat ſopor.

SCENA III.

Artabanus, Nadab.

Vires omnes exerit Nadab, ut a ſuſcepto, ſæviendi in Danielem conſilio Artabanum deterreat; ſed fruſtra.

Nad. FAtidicus Augur, proximum Divis caput
Cadet enſe cæſus? *Art.* Crimen ulciſci ratum eſt.
Contende potius arte, conſiliis, prece,
Ut mea faceſſat juſſa? ſi renuat; luet
Cruore pœnas. *Nad.* Precibus eſt ſi quis locus;
Furentis animi ſuſtine effrænem impetum,
Mentemque ſubeat populus indignans nefas:
Subeat timendus Gentis hebrææ Deus,
Futurus ultor. Pharao quot pœnas luit,
Illique fert ut fama, quam magno ſtetit
Spreviſſe Moſen! Illico infeſta lue (*e*)
Putruere membra civium, & rupta cute
Patuit hiulcum vulnus: Iſiacis plagis
Abripuit umbra noctis inſuetæ, diem,
Merſitque ſolem. *Art.* Pergis audacter loqui?
Abi hinc ab oculis. *Nad.* Non agros ſileam, vorax
Quos meſſuit locuſta, non ranas putres,
Reſonoſque culices. Sed, quod horrendum eſt magis,

 Pri-

(a) *Ironice alludit ad ea, quæ ſuperius dixerat Daniel act.1. ſcen.3.*

(b) *Accurrunt Excubitores.*

(c) *Vertit Sermonem ad Danielem.*

(d) *Diſcedit ab Excubitoribus abreptus.*

(e) *Flagella, quibus Deus Pharaonem afflixit, ut habetur Geneſ. c.8. 9. & ſeqq.*

Primæva thalami pignora, insontes, cita
Mors falce pueros stravit. Ah nunquam accidat;
Pariter acerba morte sublatum ut meum,
Tuumque Beradan lugeas! *Art.* Non hinc abis.
Nad. [Illum tuebor sospitem, aut moriar] (*a*). *Art* Nimis
Fidenter ora solvit. Hos animos habet
Egenus, hospes? Dubia mens, trepido metu
Concutitur: hæret pectori semper vigil
Terrificæ imago noctis.

SCENA IV.

Artabanus, Asaph.

Asaph rumorem magis, magisque de Nabuchi filio, imminensque publicæ conjurationis periculum Artabano inculcat, eumque ad celeriter decernendam Danielis mortem exstimulat. Præterea in eiusdem criminis suspicionem vocat Nadab.

As. INvaluit recens
Sic fama, nulla ut arte cohiberi queat.
Quærit latentis, vulgus huc, illuc ruens
Indicia Pueri: nosse, quem frustra student,
Latebris dolosis regiæ occludi domus
Putant, nec aliter posse quærentum irritas
Tot esse curas: utque quod quisquis cupit,
Sermone celebrat, Juvenis ingenium, decus,
Moresque laudant. Narrat hic volucres equos
Quam bene tenella cogeret frænos pati
Dextra: sagittas ille quam certo in scopum
Dirigeret arcu: memorat hic lepidos sales:
Attonitus hæret ille, quæ deceant virum
Responsa memorans. Adde, quod cinere excitus;
Prolisque redivivus amor, in Patrem illico
Restinxit odia. Rebus, in lapsum statim
Occurre pronis. Vix in adversam ratem
Crebrescit Eurus; navita obliquat sinus,
Tendesque primum ad littus, undarum impetum
Frangit, frequenti remige. *Art.* Insanæ, labat
Vix orta plebis seditio; nisi se Ducem
Adjungat aliquis, genere præclaro satus,
Opumque dives. *As.* Ergo sit primus labor,
Ambire Proceres: dona tueantur sua,

Quæ

(a) *Discedit.*

Quæ tibi dedere ſceptra . *Art.* Tuque , quod tui eſt
Muneris , in Urbe , qua patet cumque exitus
Diſpone vigiles . *Aſ.* Timeo , ne furtim dolus
Subrepat , ipſamque Procerum tentet fidem ,
Sub ſpecie honeſti . *Art.* Qui Auguris ſenſus erant ,
Cum raperet illum miles ? *Aſ.* Elato impudens
Clamabat ore : perge in occurſum , tui
Feſtiva Babylon , Regis , amplexus pàra .
Inopinus aderit . Jam facem , & colubros manu
Megæra quatiens , acta præcipiti gradu
Irruit in aulam . Mordet en frendens , humum
Raptor ſuperbus . Plura jactanti , ſequax ,
Fremitu ſecundo turba plaudebat . Quid hunc
Pateris inultum ? juſſa mors , Vatis premat
Mendacis ora . *Art.* Exſculpſerint poſtquam dolos ,
Quos mente volvit , corpori admotæ faces ,
Statim revellet enſis infidum caput .
Aſ. Moras quid ultra quæris ? *Art.* Admonitus Diis ,
Omnia cavere cogor . *Aſ.* Ingenio , Deos
Sibi quiſque concinnat , ſuo . At ſaltem diem
Non ante mergat æquor , impia quam cadat
Succiſa cervix , concitæ ſecum trahens
Spem plebis . Hanc , dicto ocius reprimi eſt opus ,
Late furentem , ne furor totam illico
Invadat Urbem . Putre ſic ægro in pede
Si forte tumeat ulcus , ad vivum ſtatim
Ferro eſt ſecandum ; ne lue aſperſus fluens ,
Refluenſque ſanguis omnia in membra invehat
Lethale virus : fide nec nimium levi
Procerum favori . Nomine ignotus jacens,
Arenſque rivus , hieme nimboſa tumens
Si clauſtra reſono gurgite exſuperet ſua ;
Huc celer , & illuc obicis impatiens ruit ,
Nec nemora tantum raptat , & viles ſpecus ,
Moles ſed etiam , & aggeres , Regum vigil
Quos cura , & impenſus diu artificum labor
Objecit undis . Nullus o lateri tuo
Adeſſet utinam Vatis occultus comes ,
Fraudumque ſocius ! *Art.* Profer actutum , quis hic ?
Aſ. Nadab frequentat clanculum ipſius lares ,
Ipſumque laudat , ſequitur . *Art.* Hinc illæ preces :
Hæc illa pietas : ſpectat huc Pharao , meo
Objectus animo nuper , & ultor Deus .
Non ſic abibit crimen . Admotæ interim
Faces lateribus , Augurem cogant palam

Retegere fraudes. Quotquot agnoſcam reos,
Involvet eadem pœna. Me populus brevi
Timere diſcet (a). *Aſ.* Pereat hoc vatum genus
Fatale regnis: nanque ſimulantes Deûm
Alloquia, turbant omnia, & primos ſibi
Poſcunt honores.

SCENA V.

Beradan, Aſaph.

Beradan conatur removere Aſaph ab incitanda Regis ira contra Danielem.

Ber. PRæcave, nanque id potes,
Irarum in æſtu ne modum excedat Parens:
Animum furentem reprime. Jam clare vides,
In vincla adactum Populus ægre quam ferat,
Quive ſit inurbe mœror. Incolumis, tua
Poſco ut ſit opera, immeritus Augur, qui jacet
Tenebroſo in antro. *Aſ.* Rex jubet: juſſis meum eſt
Parere. *Ber.* Munus an tuum, ſtimulis erat
Iras acuere? Rumor haud fallax tamen,
Regale pectus, arte ſuccenſum tua
Arſiſſe perhibet. *Aſ.* Vulgus inſanum leves
Sectatur umbras. Flagrat aliena face,
Genitoris ira: Juſſa quod vero ſequar,
Laudem meretur. *Ber.* Niſi quod hanc cupide nimis
Laudem aucuparis. *Aſ.* Non retro, ut libeat, pedem
Referre poſſum. *Ber.* Nec tibi, ut poſſis, libet.
Aſ. Me poſſe reris, arma cui cingunt latus,
Primum jubentis Regis ad nutum, in meum
Ruitura jugulum. *Ber.* Vana te ſpes, non timor
Sævire cogit: quippe te regni arbitrum
Speras futurum, Vate ſublato: in lucro
Ponis ſacrilegum mortis illatæ nefas,
Vati immerenti. Noſco quas fraudes tegas.
Aſ. Noſce obſequentem potius. *Ber.* At cujus putas
Illum eſſe criminis reum? *Aſ.* Patrem roga.
Ber. Pridem rogaſſem, ni tuis captum dolis,
Tuaque ſcirem fraude. *Aſ.* Quam fraudem exprobras?
Mea ſat cuique conſtat in Regem fides,
Reſperſa nunquam labe. *Ber.* Danielis magis
Sed nota virtus. *Aſ.* Ille vulgavit, ſuo

Qui

(a) *Diſcedit.*

Qui jure ſceptra repetat, huc tacite gradum
Retuliſſe. Culpa hæc, cætera inſontem, gravat.
Ber. Id eſſe falſum quis probat? latebram an putas
Deeſſe vaſta in Urbe, ubi lateat puer?
Neſcire an oculis pervias res, cui patent
Etiam futuræ? *Aſ.* Haud Augurem falli reor,
Sed falſa potius, ore fallaci loqui.
Ber. Verſare fraudes pectore aſſuetus putat
Vitio hoc carere neminem. *Aſ.* Vanis diem
Conterere verbis nequeo. Sic paucis habe.
Si fuerit inſons; Vatis in tuto eſt ſalus:
Culpam ſequetur pœna, ſi fuerit reus. (*a*)
Ber. Servire ſuetus tempori, & fraudum ſciens,
Molitur aliquid.. Arte præſtruere eſt opus
Aditum nocendi. Carcerem ut Vatem alloquar
Pergam, reique certior factus, vias
Experiar omnes. Socius, ut ſpero, mei
Nadab laboris Auguri auxilium feret

ACTUS III.

SCENA I.

Artabanus.

Secum ipſe queritur, nulla arte, nullaque tormentorum vi potuiſſe ex Daniele verum exſculpi.

Sine mente rapior. Ira, quin ſtygius furor
Mihi pectus urit. Siccine illudi ſinam?
Ars nulla potuit cordis infidi intimas
Reſerare latebras, nulla vis: quodque eſt mihi
Magis dolendum, membra ne leviter quidem
Libare viſæ ſunt faces. Victor feret
De me triumphum vile mancipium? Huc rue
Redimita colubris dira Furiarum cohors,
Pœnaſque poſce. Vulnera, & cædem volo,
Quam ſtupeat Erebus, atra pœnarum domus,
Minos nec illi ſupparem inveniat, diu
Scrutatus urnam.. Renuis an vecors meis
Parere juſſis? ſolus Eumenidum omnium
Implebo munus. Propero.. (*b*) Quo demens feror?
Si pereat Augur; unda præcludet Stygis,

(a) *Diſcedit.* (b) *Siſtit gradum cogitabundus.*

Orbisque superimpositus arcanum teget.
Æger ego, & anceps transigam mœstos dies,
Comesque lateri gelidus hærebit timor.
Timebo pateras inter, & lautas dapes,
Ne sæva, furtim pocula inficiat manus:
Sive in recessu regiæ captem domus,
Lentus soporem, sive per longa atria
Capturus auras spatier, occultos dolos
Timebo: ubique tuta me insidiis petet
Rabies latentis Æmuli: nusquam satis
Fraudes cavere potero.. Proh dirum caput,
Sacrilege Vates, itane præsidio tuum
Tibi crimen erit? immanitas sceleris, scelus
Impune reddet? Morere: te forsan sequar,
Sed non inultus.

SCENA II.

Artabanus, Asaph.

Nuntianti Asaph iam stationarios milites viarum exitus occupasse, Artabanus imperat, ut confestim, acerbissimo mortis genere Danielem puniat.

As. URbis insedit vias,
Statione miles. *Art.* Perge: Danielis statim
Dilaniet artus omne supplicii genus.
Rotas, facesque congere: insuetum modum
Cædis reposco: latera nudata æneus
Percurrat unguis: membra paulatim seca:
Ferro reclusa viscera irroret liquens
Fervor metalli. Cæde non una lacer
Post quam subierit fata; resciffum illico
Mihi caput affer. Liceat o spirans adhuc,
Trepidumque!



SCE-

SCENA III.

Artabanus, Nadab, Asaph.

Nadab interpellat Artabanum loquentem, & facultatem cum ipso, remotis arbitris, loquendi poscit, & impetrat. Asaph recedit, & commissum sibi munus differt.

Nad. SUpplex postulo. *Art.* Injussus pedem
Audacter infers! Vatis an manes cupis
Sequi cruentos particeps culpæ, & necis?
Nad. Ut huc subirem me gravis causa impulit;
Quin & coegit. Commoda, id supplex rogo,
Aures loquenti. *Art.* Loquere. *Nad.* Sed per te, arbitris
Liceat remotis. *Art.* Hinc reduc, Asaph, gradum:
Exequere jussa. *As.* Totus operosæ neci
Se adjiciet animus, ut jubes; *Nad.* Frustra loquar,
Si jussa faciat. Ante, nam brevis est mora,
Mea dicta patiens excipe. *Art.* Excipiam. At cave
Compressus ægre ne recidat in te furor,
Et æqua jungat pœna, quos junxit scelus.
Recede: causæ detur egregiæ locus.
Brevi redibis. (a)

SCENA IV.

Artabanus, Nadab.

Nadab consulendi causa vitæ Danielis, se esse Nabuchi filium Artabano retegit: idque regio anulo, quem secum tulerat fugam arripiens, confirmare conatur, sed Artabanus, vultus prorsus immutati specie deceptus, nullam illi fidem adhibet.

Nad. MIsera Nabuchi est mihi
Sic nota soboles, notus ut quisque est sibi.
Art. An vera narras? Retege: cur nectis moras?
Ingens rependam præmium. *Nad.* Retegam. At bene
De te merenti posco, ut hanc reddas vicem:
Ignosce Vati: quin in antiquum gradum
Restitue lapsum. *Art.* Ignosco, restituo libens.
Age jam: quis ille? *Nad.* Præstat illius probe

(a) *Asaph recedit.*

Novisse sensus. Corde vesano haud cupit
Avita jura persequi, expertus satis
Paterna in aula, quam sit insidiis patens
Conditio Regum. Miles auratas licet
Tueatur ædes, tacitus ingreditur timor,
Umbræque comites inde tranquillos procul
Abigunt sopores. *Art.* Retege jam. *Nad.* A te quid ro-
Audire demum libeat. Ignotos lares, (get
Humilesque latebras poscit, ubi lateat spei,
Metusque liber: dente non illum petat
Æger ubi livor, dira nec regni sitis
Sævire in alios cogat: ubi lente flueus
Per arva rivus, labis expertem, intimo
Perfundat animum gaudio. *Art.* Et differs adhuc
Vocumque inepta ambage regales tenes
Vaniloquus aures? *Nad.* Genibus allabor tuis.
Quem quæris, astat. Me tua, infelix Pater
Cara ex Sorore genuit. Hæc per me rogat,
Vertas ut ora placidus, & pignus sui
Incolume serves: dubia nec tibi mens labet,
Quod videar alius. Arte divina potens,
Suoque fretus Numine hæc Vates agit
Portenta rerum. *Art.* Tune, tu Regem audeas
Decipere mendax? Hisce, quem sequeris Ducem,
Sceleratus Augur hisce te instituit dolis,
Has docuit artes. *Nad.* Si fidem dictis negas;
Regale signum cerne, quod mecum tuli, (*a*)
Aliena peragrans regna. *Art.* Quis gemmam hanc dedit?
Fatere sponte. Cæsus a te num Puer,
Tumultu in illo plebis, occubuit? [Necem
Subiisset utinam] Tu siles? Loquitur satis,
Qui tibi inopinus ora suffundit pudor.
Nad. Non imparatus, crimen objectum reus
Excusat audax: innocens hæret stupens,
Nec se tueri didicit.

SCE-

(a) *Signatorium annulum Artabano exhibet.*

SCENA V.

Artabanus, Nadab, Asaph.

Asaph reduci in patriam Arisbæ accessum ad Regem obtinet: sperat Nadab eum, utpote suum Altorem, & Custodem, sibi futurum veritatis, pro qua contendit, probatissimum testem.

As. IN Patriam redux
Arisba, dextræ ad osculum admitti cupit.
Passim ille narrat multa de Regis fuga,
Gnatique vicibus. *Nad.* Auspice huc Cœlo, appulit:
Hoc teste, dictis, ut puto, adjunges fidem. (*a*)
Art. Arcesse. *Nad.* [Noscar; nam meum id poscit bonum:
Sic inquit Augur.] (*b*) *Art.* Corde quid tecum putas?
Nad. Mecum ipse grator: quippe cui rerum est satis
Comperta series, nesciam exsolvet brevi
Errore mentem.

SCENA VI.

Artabanus, Nadab, Arisba.

Arisba, ab immutata oris specie deceptus, non agnoscit Filium Nabuchi, suumque Alumnum. Eum frustra Nadab, variis argumentis, præsertim Danielis epistola, convincere conatur; qua tamen epistola commotus Artabanus, Danielem arcessiri iubet.

Aris. GEnua submitto libens:
Quod sceptra teneas grator. At multo magis
Gauderet animus; mea, nisi inficeret dolor
Gaudia: quod etenim tibi comas decoret recens
Diadema, sat clare esse mendacem arguit
Famam, regresso quæ mihi in Patriam, meum
Rediisse Alumnum retulit. *Nad.* En redii: meos
Agnosce vultus, teque, ut amplectar sine.
Aris. Quos prisca coluit, nostra longævos senes
Deridet ætas. *Nad.* Mene, quem veneror, cui
Debeo, quod aura vescar, insanis jocis
Excipere reducem? *Aris.* Tu mihi acceptum refers,

(a) *Alloquitur Regem.*
(b) *Hoc eodem Actu 2. Scen. 1.*

Quod vivis? ego te, vindices teſtor Deos,
Nunquam ante vidi. *Nad.* Propius accedam: tibi
Fors ævo hebeſcit viſus. *Ariſ.* Hanc labem attulit
Nondum ſenectus. *Art.* Mente fors pueri excidit
Dilapſa ſpecies. *Ariſ.* Inſidet vivax adhuc
Imago menti, nulla quam perimat dies.
Illius in ore patrius effulget rigor,
Quem blandus apte temperat Matris decor.
Temere fluentes terga circumdant comæ,
Humeroſque ſummos. Talis inceſſu fuit
Geſtuque, & ore, coluit arcitenens Deus
Cum regna, gelidus amne quæ Peneus ſecat.
Quid plura memorem? Simile nil præfers. *Nad.* Diu
Cognitus Alumni vultus, itane vel tuos
Deludit oculos? ſed quid, ignota alteri
Si facta retegam? *Ariſ.* Pignori oppono hoc caput,
Male perdis operam. *Nad.* Poſtquam in abruptas ſpecus
Mutatus ora fugit infelix Parens;
Te comite Natus Perſidem, greſſus metu
Urgente, petiit. Glaucia ibi Regi intimus
Excepit ambos. Hic tibi aſtrictus fide,
Veterique amore, vidit ubi puerum, genas
Primo virentem flore, epheborum ſtatim
Retulit in album, ſyrma qui late fluens
Tollunt ſequaci dextera, obſequio & colunt
Propiore Regem. *Ariſ.* Facta non equidem nego.
Sed tibi doloſe hæc arrogas, quæ fors datum eſt
Aliunde noſſe. *Nad.* Et unde? *Ariſ.* Cor nullas habet
Puerile latebras. Potuit indicium ſui
Dare Puer ipſe. *Nad.* Quam fidem dictis negas,
Tuiſmet oculis tribue: pretioſo affabre
Sculptum in lapillo cerne regalis domus
Signum, quod a me traditum eſt Regi. *Art.* Vide (a)
Ariſ. Eſt illud ipſum! miror. An caſus tulit,
Ut hoc repereris? ſplendidum an ſpolium manus
Cruenta rapuit? *Art.* Retege patratum nefas:
Hac lege parcam. *Nad.* Sponte quod gemmam obtuli,
Me fatis iniquæ cædis inſontem probat.
Cogente nullo, pandit ecquiſnam reus
Id, quod, luendum Vindici retegit ſcelus.
Art. Quicumque fucum facere male cautis ſtudet.
Hæc ipſa tamen ars ſæpe in auctorem redit.
Ariſ. Supremus Ultor, hac via in pœnas trahit
Reos latentes. *Nad.* Siccine eſt vobis parum,

Quod

(a) *Videndum exhibet annulum obſignatorium.*

Quod videar alius esse ; nisi videar nocens?
Qua pateat error, diluam & fictum scelus,
Hæc una superest, scripta Danielis manu
Epistola. Ambo legite. (*a*) Babylonem statim
Jubet, ut regrediar: addit id regni bonum,
Id velle Superos. Misit hanc Daniel, procul
Cum forte Arisba abesset: injunctum & grave
Glaucia ab amico munus, extremas plagas
Persidis obire cogeret. *Art.* (*b*) Quorsum o Dii,
Hæc verba quorsum? Publicum id regni bonum,
Superosque velle. Quisquis es, larvam exue:
Aperta loquere. *Nad.* Plura quid frustra loquar;
Nullam loquenti si fidem præbes? *Aris.* Satis
Res ipsa constat. Litteram, & gemmam abstulit,
Sibique tribuit nomen alienum: sua
Sed fraude sese implicuit incautus: rudi
Qua struere voluit arte, patefecit dolos.
Art. Inscripta at hæc epistola est Nadab. *Aris.* Meus
Hoc ipso Alumnus nomine est usus, fugam
Ex urbe postquam cepit. *Art.* Hunc igitur bonum
Commune regni poscit, hunc Superi volunt
Babylona regredi. Verba proh dira, excitant
Quæ noctis hesternæ metus! *Nad.* Si quem times,
Diem supremum clausit, incassum times.
Art. Res certa nondum est. Tu potes, Nadab, meas
Lenire curas. Pande, quod laudem meret
Illustre facinus. *Nad.* Nunquam erit, mihi ut imputem
Facinus pudendum. *Art.* Arisba perge: huc Augurem
Arcesse, dicto citius: ex ore illius
Plus aliquid in lucem eruam. *Aris.* (*c*) [O sævum caput]

SCENA VII.

Artabanus, Nadab.

Artabanus blandis verbis Nadab, quem simulare putat, ad detegendam rem, ut est, inducere conatur.

Art. JAm nullus astat: retege, quod tuto potes.
Nonne tibi Pueri cæde, præclaræ decus
Patriæ, tueri licuit? Illius foret
Quam fœda labes; ungue si bifido Patrem

Se-

(a) *Porrigit Artabano epistolam.*
(b) *Postquam attente legit epistolam.*
(c) *Sic exclamans discedit.*

Sequeretur hæres ; fieret hinc , ut posteri
Tandem a bubulcis cernerent nostros agi
Reges gregatim . Nomini Alcidæ tuum
Æquat , cruentam Generis humani luem ,
Hæc sustulisse monstra . *Nad.* Sic laudem putas ,
Sævam mereri dexteram , siqua intulit
Necem Sororis filio ? Hæc pietas : hic est (*a*)
Avunculi verus amor . At regni , inquies ,
Salus , decusque id postulat . Quid si tuum
Grassator alius , publici obtentu boni ,
Natum trucidet ? Quisque , ut instantem genis
Fallat pudorem , fucat admissum scelus,
Mentita honesti specie . *Art.* Ea est Regum prior ,
Potiorque cura , conjugi , natis , sibi
Præferre regnum . Hæc una si pateat via
Illud tuendi ; ego ipse vel sobolis petam ,
Mucrone jugulum . *Nad.* Hæc esse privatis quoque
Mens debet eadem : non enim differt loco ,
Sed animo , ab hoste civis . *Art.* Ergo cur opem
Afferræ Patriæ renuis ? *Nad.* An bellum ingruit ?
Capitis pericla adibo . *Art.* Credo equidem fore , (*b*)
Pericla ut adeas , voce qui trepidam potens
Solvisse Patriam metu , excisum genus
Regum biforme , aulæque sublatum probrum ,
Silendo celas . *Nad.* Mene , qui tecum loquor ,
Periisse dicam ? *Art.* Somnia hæc tandem excute ,
Pietate nostra fruere . *Nad.* Qua nempe in meam (*c*)
Tot probra stirpem , totque mordaces jocos
Effundis ore : eamque monstriferam vocas ,
Dignamque , penitus erui Herculea manu :
Qua nempe germen omne regalis domus .
In monstra abire , sceptra ne repetant , cupis :
Qua nempe . . *Art.* Regis itane contemnens preces ,
Volveris eodem ? Sed brevi ulciscar . . Subit
En ille .



SCE-

(a) *Ironice.* (b) *Ironice.* (c) *Ironice.*

SCENA VIII.

Artabanus, Nadab, Daniel.

Daniel captiosas Nadab interrogationes, & Artabani exhibentis epistolam, Nadab inscriptam, inopinam redargutionem caute eludit. Repetit deinde suum carcerem. Nadab etiam Artabani iussu in vincula coniicitur.

Nad. DAniel jam palam feci, diu
Quod ante silui. Servet an quisquam tui
Capitis periclo, quam tibi obstrinxit fidem?
Unde genus habeam, in cardine hoc rerum, irrito
Labore celas. Testis accede, & satum
Me stirpe Regis comproba. *Dan.* Et cujus satum
E stirpe Regis? anne Cyri? sed gradus,
Quem Cyri in aula quondam habebas, haud decet
Regis propinquum. *Nad.* Non vacat levibus moras
Traxisse nugis. Pauca te, Daniel, rogo:
Repone pauca. Mene Nabucho negas
Fuisse genitum? *Dan.* Non nego.
Nad. Affirmas? *Dan.* Neque hoc.
Tibi ipse locuples testis es. Cur me rogas?
Cur non Arisbam? Quemque de populo potes
Adhibere testem: nanque nemo est, quem decor,
Puerique vultus lateat. *Art.* Ex te sed libet
Audire. Profer ipse, quid tecum putes.
Dan. Quod tueor oculis, id puto. Haud illum refert
Habitu, vel ore. Fronte non torva est minax,
Non celsus humeris: non pari incessu movet
Gressus, nec oculos igne succendit pari
Nativus ardor mentis. Ecquisnam afferat
Illum esse, quem se dicit? *Ar:.* At quem se negat
Testatur esse, mortis illatæ reum,
Hic, quem gerebat, anulus pueri arguens
Cædem peractam. *Dan.* Falleris: vitam trahit
Puer ille sospes. *Nad.* Adde: non distat tua (*a*)
Quod procul ab aula: quod tua ignotus subit
Lumina. Repetere mente si memori velis
Audita; Vatis illico, in quemnam cadant
Ea verba, nosces: nec oculos fallat mea
Mutata species: mira nam Daniel patrat,

Qua

(a) *Artabano in memoriam revocat audita a Daniele Act. 2. Scen. 2.*

Qua poſſet arte. *Dan.* Non ſpecu anguſta latens
Nec ære gemerem preſſus, hæ mihi ſi forent
Artes. Cavere militum armatas manus,
Oculoſque poteram impunis, alienum induens,
Simulanſque vultum. *Art.* Epiſtola hæc vero locum (*a*)
Dat ſuſpicandi. *Nad.* Prima frons præfert meum
Inſcripta nomen. *Dan.* Tribuere alterius poteſt
Sibi quiſque nomen. *Nad.* Tradidit quiſnam mihi
Epiſtolam hanc? *Dan.* An aliqua præcluſa eſt via
Fraudibus. At eſto nulla ſit fraus; ſæpius
Ceras amicus alter inſcriptas ſibi
Tradit legendas alteri. *Art.* An Pueri eſt comes
Nadab? *Dan.* Ita eſt: eumque amat: ſicque eſt ei
Conjunctus arcto fœdere, ut nemo magis.
Art. Age (*b*) ubi lateſcat retege. *Nad.* Te coram latet.
Dan. Veſane, num ſperas fore ut tribuat tibi,
Quam mihi negavit Rex fidem? (*c*) *Nad.* Immerito hanc
Referre pergis. Tua ſit in tuto ut ſalus, (vicem
Depono larvam; notus objicio caput
Inerme gladio: tuque me inſimulas doli,
Laudemque vertis in probrum. *Art.* Id Daniel rogo:
An regere populos aliquis imperio, Deo
Renuente, poſſit? *Dan.* Eſt Deus Regum arbiter,
Partitur ipſe regna. *Art.* Nunc poſco, mihi
Succedet in regno alius, an latens Puer?
Dan. Succedet alius: nuper audiſti (*d*). *Art.* Huc gradum
Ergo Puerum referre cur regni bonum
Commune poſcit? (*e*) Idque cur Superi jubent,
Qui mihi dedere ſceptra? *Dan.* Cum telas acus
Aſſyria pingit; nil niſi implexas vides
Vario recurſu ſtaminum ambages: tegit
Averſa facies quippe, palladius labor
Quæ fingit opera. Tela ſed poſtquam jugo
Reſecta tereti, divitem ornavit domum,
Obverſa frontem; cernis aut denſum nemus,
Virideſque latebras, ubi canis tergus premit
Frendentis apri, jamqne venator manu
Adducit arcum: ſanguine aut pelagus rubens,
Galeas, & haſtas volvere, ac timidam Thetim,

Glau-

(a) *Exhibet epiſtolam, & de qua ſermo habetur ſcen.6.*
(b) *Vertit ſermonem ad Nadab.*
(c) *Mihi nempe cum ſimilem locutionem adhibui. Act.2. ſcen.2.*
(d) *Act.2. ibidem.*
(e) *Ut in epiſtola Scen.6.*

Glaucasque socias trepido anhelantes metu,
Latitare in alga. Magna, quæ orditur Deus
Ignorat hominum cæca mens, nubes premit
Quam lutea: series ordine at postquam suo
Se tota rerum explicuit, æternæ patent
Consilia mentis. *Art.* Præscit hæc Vates tamen
Certus futuri. *Dan.* Plura densatis latent
Immersa latebris, nempe quæ nostrum Genus
Nescire præstat. *Art.* Edoce id saltem: Puer
Ubinam moretur, regio cultu excipi
Possit ut in aula. *Dan.* Desines, statim ac scies,
Rex esse. Visus aderit extemplo leo,
Diadema, & ostrum ut rapiat. *Art.* Hæc loqueris tuo
Vel Rege coram? *Dan.* In carcerem remeo libens:
Prævenio jussa. Quantulum humanæ at queant
Vires, docebit Numen: instat jam prope
Fatalis hora. (*a*) *Art.* Tangit en rursus meum,
Refricatque vulnus. Retege tu, Nadab, silet
Quæ stultus Augur: jussa ni facias; manet
Te mors cruenta. *Nad.* Qui sit, & ubi, jam tenes:
Frustra est repetere. *Art.* (*b*) Trudite hunc etiam in spe-
Pœnas daturum. Postulat regni bonum (cum
Perire utrumque (*c*). *Nad.* Moriar, & gravius quod est,
Pretium omne mortis auferet Daniel comes.

ACTUS IV.

SCENA I.

Artabanus, Beradan.

Beradan ab Artabano genitore suo obtinet Danielis, & Nadab liberationem: ea tamen lege, ut Daniel stet promissis, & Evilmerodach ad Artabanum adducat. Dissimulat interim Artabanus crudele animi sui propositum. Ambo colloquentes in scenam prodeunt.

Ber. HAnc pone mentem: reprime præcipitem impetum
Gliscentis iræ. *Art.* Concitum pectus, flagrans
Depascit ardor: solus amborum cruor
Restinguet æstum. *Ber.* Causa, quæ subdit faces,
Sublata jam prope est: Puer ubi sit, scies

Et

(a) *Discedit.* (b) *Ad excubitores.*
(c) *Discedit.*

Art. Et unde ? *Ber.* Grande reteget arcanum , prius
Quam Phœbus undis mergat emeritum diem,
Ipſe tibi Daniel . *Art.* Rurſus illudi ſinam ?
Non franget iterum , qui ſemel fregit fidem ?
Quodque magis urget , nulla , quantumvis breves
Redimere cura poterit innexas moras .
Somnia minantur quidquid , ut primum licet ,
Cavere præſtat . *Ber.* Cogitat , quas mens vigil
Simulacra rerum , commovet mendax ſopor ,
Nectitque caſu . *Art.* Sæpe fatidicus monet
Sopor futura . *Ber.* Sæpius fallit . Mala
In nos laceſſit properus interdum timor ,
Nimium cavendo . *Art.* Caveat an quiſquam nimis ,
Ubi in periclo ſumma rerum eſt ? *Ber.* Id tibi
Potius timendum , ſæva quæ circum flagrat
Popularis odii flamma ne late ruat
Auctior , & igni fomes accedat novus ,
Mors juſſa Vatis . Ille quæ moriens canet
Ventura regni fata , non ſecus , ac Deûm
Reſponſa , inane vulgus excipiet : ſibi
Præeſſe Regem nec ſinet ; niſi quem ſacer
Proponet Augur . Hunc ſtatim ad ſolium evehet
Furentis inſtar , agmine atque uno ruens ,
Veſana turba . Mille te forſan videns
Gladiis petitum , dextera armata irruam
Medios in hoſtes : moriar ad patrium latus ,
Tecum ipſe moriar . *Art.* Quantum habes in me potens
Natura juris ! Carcere excedat ſuo :
Promiſſa fidus ſervet : alioquin moram
Gravior rependet pœna . Sed quonam Puer
Latet in receſſu ? Licuit an quidquam aſſequi ?
Ber. Non procul ab urbe , claudit ubi circum Tigris
Placido volutus amne vernantes opes
Regalis horti , gauſape indutum rudi
Latere opinor : ire nam Daniel parat
Illuc citato , dummodo id liceat , gradu .
Art. I , nuntium affer Auguri . At crimen luat
Nadab : furori victima hæc noſtro cadat .
Ber. Hanc cadere ſolam ſi jubes ; fruſtra jubes .
Prævertam Amici funus : objiciam caput
Prior ipſe gladio . *Art.* Læſa majeſtas feret
Inulta probrum ? Nuſquam ab inſidiis erit
Conditio Regum tuta , ſi pœna vacet
Veſana civium ambitio . *Ber.* Amici ſalus
Hæc fuit origo , hæc una puerilis doli .

Non

Non ille corda tumidus insano flagrat
Amore regni: omne sibi præsidium, & decus
Petit ab honesto. *Art.* Nomen, & Regum genus (*a*)
Simulare laudi tribuis? *Ber.* An crimen putem
Prodesse misero? Genibus id pronis rogo:
Ignosce Genitor: idque si renuis, pari
Conjunge fato, quos amor junxit. *Art.* [Tegam
Consilia vultu] Desine: hunc etiam refer
De me triumphum: ignosco. *Ber.* Nunc o, nunc tuo
Munere revixi: detur atque utinam vicem
Referre meritam! Conscium ut reddam sui,
Meique Nadab gaudii, hinc liceat specum
Repetere. Lætus vincla dissolvam: intime
Sed tibi catenis nectet auratis Amor
Utriusque corda. *Art.* Perge (*b*) spem vanam foves:
Pœnas uterque solvet.. At dubium, hic novus
Eventus animum terret. An Vates ita
Desipiat, ut palam artifex fraudum velit,
Mendaxque haberi? Num fidem excedit putri
Squalore vultus, veste & abjecta genus
Regale posse contegi? Ut memini, hac diu
Latuisse Reges arte, priscorum docent
Monumenta certa temporum.

SCENA II.

Artabanus, Asaph.

Artabanus rationem, & modum omnem insinuat Asaph, quo Danielis supplicium exequatur, sive Daniel falsum, & suppositum filium Nabuchi, ut ipse putat, sive verum Populo exhibeat. Recisum præterea Danielis caput sibi statim afferri iubet.

As. ET ferro, & faci
quousque parcis? Fingit en Augur nova
Commenta: jamque rura, quæ Tigris alluit,
Petiit Arisba missus, ut quærat Puer
An lateat ibi, vel inter armenta, & greges;
Vel clausus aliquo impervio, & vili specu.
Art. Insuetus horror ingruens cordi, malum
Portendit ingens. *As.* Metuis incassum. Quibus
Assuevit Augur fabulis captat levem,
Rudemque plebem. Vitia puerilem imbuunt

Quæ

(a) *Ironice.* (b) *Beradan discedit.*

Quæ prima mentem, fera vix unquam fatis
Dedifcit ætas. Cœpit a puero fequi
Nugas aniles, quafque fabellas facro,
Putant ut ipfi, in codice Ifacidum Genus
Servat, legitque. Somnia o quot litteris
Gens hæc notavit: nempe degenerem diem
Stetiffe medio in axe, lituorum fono
Urbis revulfa mœnia; & fciffum mare
Jubente Mofe. Hac arte fingendi excolit
Ingenia puerorum. Adde quod regna extera
Hac domuit arte. Colla nunc turpi jugo
Eripere eadem tentat. Ad regnum efferat
Si fraude inulta quempiam; vinclis ftatim
Repetet folutis, læta nativos lares,
Pactaque tributa folvet occultans dolos,
Armare donec liceat ultricem manum:
Poftquam licuerit, illico imperium pati
Superba renuet. Quis etenim credat fore,
Sueta palmis jaceat ut famæ immemor,
Decorifque aviti, nec tot annorum probrum
Incendat iras. Docuit Ægyptus, quid hæc
Gens etiam inermis poffit, & nondum pedes
Exuta laqueis. Merita cur anceps adhuc
Supplicia differs? *Art.* Caufa, quæ turbas ciet
Tollenda primum eft, idque curandum, dolus
Ut pateat. Audi: fraude fuppofitus Puer,
Elatus humeris militum obtutus diu
Detineat avidos; plebis & poftquam fatis
Explerit oculos, mortis adigatur metu
Patriam, fuumque pandere ignotum genus:
Subinde notum crimen effufo luat
Daniel cruore. *Af.* Præfto erit denfis frequens
Acies maniplis. *Art.* Vatis enecti, illico
Caput revulfum, læta fublatis cohors
Comitetur armis? murmure ærifono tubæ
Feftum triumphi nuncium accelerent. Fores
Aulæ fubibit pompa cum primum; irruam,
Putri ut madentem tabe cervicem pede
Subigam, teramque. Capite vos etiam fcelus
Luetis ambo, fceleris in partem vocat
Quos pariter eadem caufa. Tu Nadab prior (*a*)
Cades acerbo funere: accedet comes
Veterator alter, non adhuc notus, brevi
Quem noffe dabitur. *Af.* Finge nunc, quoniam id times,
Quod

(a) *Apoftrophe ad abfentem.*

Quod vera Regis, inter agricolas latens
Ignota proles, paupere & ſtirpem tegat,
Et ora cultu, quæ tibi, hoc rerum in ſtatu
Mens eſſet? *Art.* Eadem. Gravius an mihi nocens
Veniam mereret Augur? an culpa vacat
Hunc velle Regem, ad ſceptra, qui jus non habet,
Artus ferinos induit poſtquam Parens.
Sed foret agenda res ita, ut ſpecie tenus
Ultura veluti regiæ indecorem moram,
Probrumque ſobolis, rueret in jugulum Auguris
Armigera turba, peteret atque uno impete
Mucrone Nadab, falſa veſano ambitu
De ſe locutum. *Aſ.* At interim ſceptrum impii
Genitoris hæres raperet. *Art.* Hoc Reges habent
Proprium, ſuumque, poſſe quod libitum eſt, ſequi.
Nulla tenentur lege qui leges ferunt.
Atreus nepotum cæde tergemina madens
Menti recurrat. Facile ſic utinam foret
Leonis unguem, & ſtrictum ab occulta manu
Vitare gladium. At cœpta ni Superi adjuvent;
Acheronta flectam: dira Furiarum cohors
Mihi comes aderit: omnia in præceps traham.
Tu ſequere juſſa: dextera ultrici, ſuæ
Augur propinquæ mortis ignarus cadat,
Sacrilegus Augur, omnis inventor doli.
A te repoſco hanc victimam: ambos ſed mihi
Socios reſervo.

SCENA III.

Artabanus, Nadab, Daniel.

Excipit Artabanus artificioſa comitatis ſpecie Danielem; & Nadab vinculis ſolutos. Daniel magis, magiſque Artabani mentem futurorum neſciam ambiguis ſermonibus implicat.

Art. GRator o Divis ſacer,
Veridice Cœli interpres, & regni ſalus:
Tecumque Nadab grator. *Dan.* Haud noſtræ eſt opis
Vicem referre. Utrique quod liceat frui
Hac luce, munus eſt tuum. *Art.* Oblitum volo,
Furentis ore quidquid incaute excidit.
Ambitio demens omne fas ſpernit, nefas
Aggreditur omne. Ceſſit hæc demum loco,

Pie-

Pietasque subiit. Repetat amplexus redux
Puer ille nostros: ducat incolumis dies,
Regnetque. *Dan.* Populos tu reges, vita frui
Donec licebit. *Art.* Sceptra num mihi auferet,
Vitamque gladius ultor? *Dan.* Incassum times
Ultoris iram. *Art.* Patris ærumnam pavens
Fors sceptra Natus renuet, ut vivat sibi.
Dan. Nec patria capiet sceptra, nec renuet. *Art.* Dabit
Quis ergo populis jura? *Dan.* Qui dedit. *Art.* Et velim
Lethum Sororis Filio inferre? Hac via,
Ni sceptra sponte renuat, imperii queam
Retinere clavum. Sanguinis mihi est gradu
Propiore junctus. *Dan.* Sanguini haud parces tuo.
Art. At Matris umbra facinus impediet. *Dan.* Manum
Reget illa, & ensem. *Art.* Tune Medeam putas?
Dan. Materno amore id faciet. *Art.* In monstrum an timens,
Ne Patris instar abeat, hoc cupiet probrum
Morte occupari? *Dan.* Præda ne monstri sit, id
Timebit illa, & jure. *Art.* Perplexos minus
Dedere quondam e rupe cadmeja sonos
Triformis ora Sphyngis. At rerum exitus
Mea fata reteget. Tuque cur Nadab siles?
Suadere temet stirpe regali satum
Quorsum studebas? *Nad.* Causa, Danielis fuit
Instans periclum. *Art.* Nonne cavisset sibi,
Regi obsequendo? *Dan.* Providus rerum Arbiter,
Qui lege certa versat humanas vices,
Non ante jussit, ut tibi obsequerer. *Art.* Fuit
Quæ sic jubendi causa? *Dan.* Mortali haud licet
Arcana Snperûm nosse. *Art.* Portendit tremor,
Mea corda pulsans, exitum infaustum: latens
Malum aliquod instat. *Dan.* Gignit ancipites metus
Hominum cupiditas. Qui nihil fluxum cupit
Metuere nescit.



SCENA IV.

Artabanus, Beradan, Nadab, Daniel.

Beradan facultatem pergendi obviam Evilmerodach in aulam, ut falso putat, regressuro, a Genitore suo Artabano enixe petit, ac demum impetrat.

Ber. IRe redeunti obviam,
Citius & ora cernere, alloquio & frui
Da posse Genitor. Ibo Danielis comes,
Meique Nadab. O quot amplexus dabo!
Quoties anhelis oscula infigam labris!
Cur tacitus hæres? *Art.* Itane mi Beradan ruis,
Sine mente præceps, cæca quo gressus trahit
Cupido? Sapiens quisque molitur nihil
Quin ante varios reputet eventus rei,
Quæque sit agendi ratio. Civium omnium
Risum movebis, irritus voti, gradum
Si forte referas. *Ber.* Liceat, id supplex rogo,
Innati amoris impetus primos sequi.
Danda mihi venia est. *Art.* Regere se donec sciat,
Usuque discat, debet alienis regi
Monitis juventus. *Ber.* Ipse fatidici sequor
Exempla Vatis: hunc ducem comes sequar.
Et esto fallar, tantus errorem satis
Excusat Auctor. *Nad.* Prosperum eventum fore,
In me recipio. *Art.* Loquere fidenter minus,
Dedecus inultum non feram. Regum sacra
Ludibrio haberi impune majestas nequit.
Dan. In me omnis error recidat. At nulla potest
Ratione fieri, pateat errori ut locus.
Non id nocendi mille qui callet vias,
Regnator Erebi possit, aut cœli potens,
Qui fata rerum volvit. Huc mecum nequit
Redire Nadab, nisi simul redeat comes
Regalis Hospes. *Art.* Jam tibi in me nil moræ est (*a*)
I citius: offer Æmulo oblitus tui,
Quæ tibi paravi sceptra. Quam durus labor
Servile sit pati jugum, addisces brevi
Ber. Satis ille regnat, qui sibi imperat. *Art.* Hoc frui
De fæce vulgi servus imperio potest.
Ber. Quisquis fruatur, major est, quam qui premens

Di-

(a) *Alloquitur Beradan.*

Ditione populos, regimen abjecit sui.
Art. Possessa, rerum dives ignorat bona:
Jactura pretium retegit. *Dan.* Itane eadem probas,
Reprobasque varius? *Art.* Prima quod regni dies
Mihi sceptra rapiat, patior haud ægre: at novi,
Instare Beradan, Regis insidias (erit
Assidua causa nam metus, Patrem illius
Regnasse) fateor mente non æqua fero:
Hoc est, quod uror. Retrahere id gressus tamen
Nequit ab honesti semita: immotum sedet
Servare jam datam fidem, hanc servem licet
Æger, dolensque. *Dan.* Sola sibi pretium, mala
Perinde virtus tolerat, ac fruitur bonis,
Ducere sed ultra non licet segnes moras.
Novus ordo jam rerum instat: o rerum vices! (*a*)
Art. Caput o dolosum! sperno falsidicum Augurem
Terrent sed animum visa per somnum: hæc velim
Falsa esse pariter. Vera si fuerint tamen,
Jamque olim acerba neverit flecti inscia
Mihi fata Lachesis, gaudia e nostro hauriet
Non ipse luctu. Propera mors Vatem obruet,
Odiumque nostri stygia restinguet palus.

ACTUS V.

SCENA I.

Artabanus, Arisba.

Arisba, quæ gesta sunt regali in horto Artabano narrat ambiguis verbis, itaut, quæ ad occisionem Asaph a Nabucho imperatam, pertinent; perinde ac si dicerentur de Danielis occisione, Artabanus accipiat, addit deinde miram Nadab immutationem. Postremo delatum a milite resectum Asaph caput, sublato velo coram Artabano retegit, seque illius interfectorem intrepide profitetur.

Art. DEdit ille pœnas: cecidit invisum caput,
Rebelle, dirum: (*b*) festus id clare monet
Sonitus tubarum.. En celerat huc senii immemor
Gradus Arisba: fronte porrecta subit:

Li-

(a) *Daniel, Nadab, & Beradan discedunt.*
(b) *Præcedit festus tubarum sonitus.*

Libet obviam ire. Quid rei eſt? *Ariſ.* Læta omnia
Art. Periit ſceleſtus? *Ariſ.* Periit. *Art.* At cervix ubi eſt,
Quam terere cupio pedibus. *Ariſ.* Hanc miles feret.
Vix mucro jugulum ſecuit, huc greſſus tuli,
Ne tua morarer gaudia. *Art.* Anne aliquis fuit
In plebe motus? *Ariſ.* Nullus: omnes quin ſuo
Plauſere Regi. *Art.* Maximum in regno bonum eſt,
Quod facta Regum populus & ſi ægre ferat,
Probat ore ſaltem *Ariſ.* At corde reprobat, quæ metu
Laudat coactus. Hoc in eventu tamen,
Sincero ab animo, tuque cognoſces brevi,
Laus eſt profecta. *Art.* Grator: id Nadab reor
Ægre tuliſſe. *Ariſ.* An tulerit æquo animo, an ſecus
Neſcio; ſed omnem quod ſcio exſuperat fidem.
Eſt ille coram viſus extemplo ſuos
Exuere vultus: forma non eadem, color
Non manſit idem: regium acceſſit decus,
Seditque in ore læta majeſtas. Diu
Attonitus hæſi: cumque conarer loqui,
Fruſtrata hiantem cœpta vox eſt: nec minor
Procerum, Ducumque pectora obtinuit ſtupor.
Sibi quiſque poſtquam eſt redditus; late nemus
Reſonuit omne, his vocibus, quas undique
Gens læta fudit: munere o Divûm redux,
Magnanima Soboles, clara Genitoris refer
Exempla: per te Patriæ accedat novum
Decus, novumque columen. *Art.* Et quænam mihi
Portenta narras? Quiſve theſſalicis dolis
Mea regna vertit? Cautus ah poteram, niſi
Mihi læva mens fuiſſet, impendens malum
Vitare facile ... Talia quid amens loquor?
Sibi non caventi, vulnus inflictum aſperat
Potuiſſe. Saltem redimat errorem illico
Hæc dextra vindex. Facinus inſuetum paro:
Abſcede pietas. *Ariſ.* Abripit quo te furor?
Nil potes in illum, in cujus auxilium Tonans
Inſtruxit arcum. *Art.* Tempore hoc medio interim
Feſtinus utar. Sera fors opem feret
Dextera Tonantis. *Ariſ.* Accipe experti ſenis
Conſilia placidus: Regium ſponte exue
Diadema. Quod vi fronte detractum gravem
Tibi pudorem afferret, exigua haud erit
Materia laudis ſponte depoſitum. Mea
Ne ſperne monita. *Art.* Hortaris ut regnum abdicans
Timeo quod unum mihimet aſciſcam malum?

Non bene Clienti prospicis : causa cadet ,
Quam sic peroras . (*a*) Pompa sed tandem subit
Aris. Primum triumphi ferculum , abscissum caput
Præit . *Art.* Inopino militum incursu , ut reor ,
Occubuit Augur . . Sed quid impositum tegit
Velamen ora ? citius , aspectu ut fruar ,
Tegumenta remove . *Aris.* (*b*) Cæde , qua nunquam
Patriæ litatum est , fruere . Consilio Deûm (æquius
In proditorem , quod tuo jussu nefas
Tacitus struebat , recidit . . Et dubitas adhuc ?
Agnosce vultum . Scire si dextram cupis ,
Qua periit ; hæc est (*c*) . *Art.* Siccine o dire , o scelus .
Huc quisquis ades , huc propera : acinacem statim
Infige jugulo (*d*) .

SCENA II.

Artabanus , Daniel , Arisba .

Daniel desperata omnia , novumque Regem acclamantis populi catervis stipatum adventare nuntiat .

Dan. PErdis incassum minas
Furore inermi . Nil spei superest : novus
Huc Rex in aulam properat : at celerem frequens
Glomerata circum turba remoratur gradum .
Art. Sacrilege , mendax , non diu æmoniis dolis ,
Magicaque fretus arte deludes meam
Incolumis iram . Ditis excitum e lacu
Inane spectrum veniat : excubiis patet
Aditus remotis . Fraude conabor pari
Retegere fraudem . Ego ipse redimitus comas
Vittis cruentis , ac nigra inferno Jovi
Bidente cæsa , thessalo cantu Deas
Ciebo Averni . *Dan.* Solvo , quam dederam fidem :
Cur ergo quereris ? Auctor horum , quæ vides
Est Summus Orbis Rector : hic larvas Stygis
Labore nullo difflat ; in Superos moves
Acheronta frustra . . At ecce festivus subit
Huc meus Alumnus . Priscus in vultu est decor :

Ge-

(a) *Inter festos tubarum sonitus miles affert rescissum Asaph caput , velo involutum .*

(b) *Velum amovet .*

(c) *Exerit suam dextram .*

(d) *Remotis iam excubiis , nemo accurrit .*

Genitor in illo totus effulget. Dein
Ecquis negabit esse Nabucho satum.

SCENA III.

Artabanus, Nadab, Daniel, Arisba.

Conqueritur Nadab de morte, quam ipsi iussu Artabani Asaph erat illaturus. Post brevem verborum altercationem, in ipsum Artabanus ense districto irruit.

Nad. HUc me redire sospitem incassum stupes:
Quos furor iniqui Regis immeritos premit
Superi tuentur. Crimine & quonam mea
Decreta mors erat? quid in Regem aggredi
Ignotus aliis, quidve moliri indigus,
Solusque potui? sæva jam cordis patent
Consilia: veniam consequi hac tentans via
Palam hæc retexit, capite qui pœnas luit
Scelestus Asaph. *Art.* Illa, quæ coram exprobras
Diluere promptus, ante: quinam sis? rogo.
Nad. Qui sim? Tuismet non habes oculis fidem?
Art. Ne fallar iterum, metuo. *Nad.* Danielis Deo
Opem ferente, fateor, alius, quam qui eram,
Nuper videbar. *Art.* Alius at nunc es mihi,
Quam qui videris: falsa nam tua si putas
Quæ jam gerebas ora, cur quæ nunc geris,
Ego vera reputem? Quisquis at fueris, memor
Tua dicta teneo: nil nisi agrestes cupis,
Humilesque latebras, tutus ubi lateas... (a) *Nad.* Amor
Tunc me trahebat otii, haud nego, mei
Cum juris essem: vota nunc rerum status
Longe alia poscit. *Art.* Vota deludam tua.
Aris. Assuesce potius pectore intrepido pati
Adversa fata. *Dan.* Dispares sortis vices
Magnanima virtus æquat. *Nad.* Antiquum jugum,
Regemque ferre disce, siqua te movet
Paterna pietas. *Art.* Sed ubi Beradan? *Nad.* Se tuo
Nomine sequestrem, & obsidem pacis dedit.
Art. Sceleste, vecors, generis eversor mei,
Inique prædo, tegere quid frustra studes
Artes dolosas? Tu mihi & natum abripis,
Et sceptra. Utrumque crimen ulciscar: via
Nisi detur alia; regnum in exitium traham,

 Et

(a) *Alluditur ad verba Nadab act.3.scen.4*

Et rapta ſpolia, teque raptorem, mea
Premam ruina. *Dan.* Spolia nec Nadab feret;
Regni nec ille preſſus occaſu ruet:
Sed recidet omnis, quo flagras, in te furor.
Art. Patior quid ultra? Ut tuis dictis fidem
Omnes adhibeant, neve crudeli manu
Opima Nadab rapiat, aut regni obrutus
Jaceat ruina; nunc mihi pœnas luat. (*a*)

SCENA IV.

Nabuchus, Artabanus, Nadab, Daniel, Ariſba.


Nabuchus inopinate ſuperveniens furentis Artabani manum cohibet. Deinde poſt mutua alterius in alterum convicia, Artabanus diris omnibus Nabuchum execratus, e conſpectu illius ſe furibundus eripit.

Nab. DExtram Tyranne ſiſte: Nabuchus jubet (cipis?
Art. Quæ monſtra video! Proh Dii! *Nab.* Sic me ex-
Hic in propinquos ſanguine eſt amor? in Deum hæc
Pietas? Quod horrent barbari, aggrederis nefas:
Et dextra inermi lentus id ſpectat Tonans,
Nec te, tuumque crimen abſorbet ſtatim
Tellus dehiſcens? *Art.* Nempe pietatem doces (*b*)
Spretor Deorum, thura qui Superis negas,
Jovique ſua regna invides: auſum Deis
Inferre bellum, placidus excipiam ... Objicis
Genus propinquum .. Scilicet conſors mei
Eſt generis, hominum genere quem toto expulit
Olim negati honoris Auctori ſuo
Natura vindex: ſæva nec Proles erit
Genitore melior. *Nab.* Crimen admiſi, haud nego,
Pœnamque merui, quam mihi ſcelerum intulit
Supremus Ultor. Sed tuum, infauſtos erat
Lugere caſus, territum & noſtris malis
Sapienter agere. *Art.* Nonne ſemiferos procul
Arcere Reges ſolio ab Aſſyrio ſtudens,
Sapienter egi? *Dan.* Pone jam linguæ modum:
Ubi ſis malorum cerne. *Art.* Quo nempe impulit
Me tua ſævities, carnifex Regum. Inſidet
Menti doloſum enigma, perplexa tegens
Ambage vocum fata, quæ ſubii miſer.

Tibi

(a) *Diſtricto gladio in Nadab irruit.*
(b) *Ironice.*

Tibi plaude lætus. Jam meum regnum occupat
Senior (*a*); at inter nemoris horrisonas feras.
Sævire doctus. Unica est illi quidem (*b*)
Soboles; sed illo digna, quæ vincet brevi
Feritate Patrem. *Aris.* Comprime in mediis malis
Furoris æstus. Quod tibi effugium patet,
Est sola pietas Regis. *Art.* Et regem vocas?
Nad. Jam parce dictis. *Art.* Nemore prorumpens, rapax.
Me prædo spoliat, & meum extemplo occupat
Impune regnum, nec querar? *Nab.* Partum dolo
Tuum esse jactas? Crimen admissum approbans
Cumulas, probando. Ni pudor, saltem metus
Linguam refrænet. *Art.* Jam suam exhausit nocens
Fortuna pharetram, progredi atque ultra nequit:
Lethum minaris? munus est, quod tamen tibi
Debere nolo. Facilis ad lethum est via:
Patere vena e qualibet vitæ exitum
Natura voluit. Non nisi ignavos diu
Sors dira vexat. Moriar: at nigra e Styge,
Feralis umbra, dextera excutiens faces,
Lævaque colubros, adero: te noctu premam,
Diuque: lateri, quolibet gressum feras,
Hærebo vindex. Fœnore hoc, imos juvat
Adire manes, discam ut insuetos modos
Pœnarum, & inde ludicri in Regis caput,
In perduelles, nuper astrictam fidem
Fregere quotquot, monstra tartarea efferam,
Morbos, ruinas, bella, pauperiem, luem.
Sic fruere sceptro fruere (*c*). *Nab.* Sit vestrum interim,
(*d*) Vigiles, cavere ne fugax pedem efferat,
Regali ab aula.



(a) *Alluditur ad verba Danielis act. 2. scen. 2.*
(b) *Alluditur ad alia Danielis verba act. 1. scen. 3:*
(c) *Discedens proiicit diadema, & sceptrum.*
(d) *Excubiis imperat.*

SCENA V.

Nabuchus, Nadab, Daniel, Arisba.

Nabuchus infortunii sui luctuosam historiam, Nadab sciscitanti narrat.

Art. QUam darem, veniæ locum
Nullum relinquit, ore furibundo procax.
Aris. Quæ pectus urit ambitio, nunquam suos
Remittit æstus. Nostra si cordi est salus,
Si qua tibi regni cura; civilis facem
Extingue belli: dumque se prodit, statim
Occurre morbo. Lenta dum repit febris,
Venæ nec ictu retegit occultam luem,
Artem medentis fallit. Inopinus secet
Caput superbum, gladius. *Nad.* Hanc referet vicem
Beradan? recepto patre, qua lætus die
Fruor, ipse patrem doleat amissum? *Nab.* Rogo:
Da, care Daniel, nosse quid fieri est opus.
Dan. Hanc pone curam: ut fata volvantur suo,
Permitte cursu. *Nad.* Pande nunc Genitor tuos,
Mihi pande casus, quæque pertuleris mala.
Nab. Acerba dictu poscis. At quamquam loqui
Mens refugit ægra; ut ipse docearis tamen,
Quam sit verendus summus astrorum Arbiter,
Terræque Dominus; quas tuli ærumnas, loquar.
Expulsus Urbe, in nemora præcipiti fuga
Ut me recepi, sicca cum fauces sitis
Ureret anhelas; vitrei ad rivi alveum
Avidus cucurri: pronus in faciem, haud semel
Adusta labra prolui: inde cum caput
Conarer iterum tollere; en subito obstitit
Immane dorsi pondus, & frons haud potis
Efferri ad astra. Brachia in crura illico
Sunt versa, versæque in pedes ambæ manus,
Pedesque bifidus, cortice & duro rigens
Dissecuit unguis: palear e mento, cute
Laxa pependit: additum fronti est onus.
Tam fœda species, unda ab illimi ut meos
Incidit in oculos; horrui, & gemitum edere
Conatus ore, protuli informes sonos,
Quos ipse timui. *Nad.* Pristina anne tunc eras
Ratione pollens? *Nab.* Tardo ut incedis gradu,

Si

Si tibi vel arctus, laxus aut nimium pedi
Non hæret apte calceus; sic non suis
Mens clausa membris, dissita, & longo quasi
Sejuncta tractu, plura, quæ novit prius
Repetebat ægre, & luce pallente exhibens
Simulacra rerum, viderat quas antea,
Hærebat anceps. Qualis occiduo æquore
Jam pene Titan mersus, alpinis jugis,
Silvis, marique affundit incertum jubar
Pereunte radio, quasque decorabat plagas,
Jam vix colorat. *Nad.* Mœstus at Beradan subit,
Fletuque madidus ora.

SCENA VI.

Nabuchus, Nadab, Beradan, Daniel, Arisba.

Beradan narrat, Artabani genitoris sui mortem, quam ipse sibi intulerat. Nabuchus iubet illi celebri pompa iusta persolvi; præterea aram erigi, & sacrificium Offerri Danielis Deo.

Nad. QUa causa doles?
Eloquere. *Ber.* Acerbo Genitor heu Letho oc- [cubat.
Ipse sibi vulnus... Prohibet at voces dolor.
O sæva fata! inanis o pietas! nimis
O prompta ad ictum dextra.. Me postquam frequens,
Laterisque custos miles ancipitem metu,
Trepidumque in aulam duxit; huc lento gradu
Solus ferebar; primo ab occursu ut mei,
Tuique abessem Patris: astans nam cui
Favere poteram? hinc æquitas, illinc amor
Traxisset animum. En obviam se offert Parens;
Mucrone stricto. Nate, me viso, procul
Clamat: Parentis jam prope in tuto est honor:
Nec mea superbus colla calcabit pede,
Nec provoluto in genua servilem in modum,
Mihi parcet hostis. Vix ea: intrepide sibi
Transfadigit alte pectus. Accurro: at manum
Opem ferentis mucro prævertit. Patet
Jam vulnus ingens: cuspidem eductam illico
Vivo rubentem sanguine objiciens meis
Moriturus oculis, verba suprema addidit.
Hic, Nate, patrius sanguis ultorem petit.
Nec plura: pronus cecidit in vulnus. Meam

Frustra, labanti dexteram opposui . . heu dolor!
Heu Genitor! *Nab.* In te patris implebo vices.
Nad. Novus hic amoris fomes accedet . . Sed o
Absiste lacrymis. Poscit ultricem manum
Si Patris umbra; sanguine inferias meo
Patriis cineribus ferre, nil renuo, potes.
Ber. Ipse, ipse pridem fata subjissem; nisi
Sperassem id olim consore, impendam ut tuis
Vitam triumphis. *Aris.* Sospites ambos, precor,
Servate Superi. *Nab.* Justa regifice, ut decet,
Persolve Patri: plurima ante aram cadat,
Sed flenda nulli victima. At Eos cum diem
Restituet Orbi, pompa splendidior sacras
Cumulabit aras maximo Isacidum Deo.
Hic summus hominum Rector, imperio potens
Regum superba capita prosternit solo,
Iterumque clemens tollit, insanum modo
Pertæsa fastum, crimen admissum fleant.
Hunc ore prono, vindicis dextræ memor,
Donec superero, thure votivo colam:
Quin templa statuam: quandiu hos populos regam,
Nomen, decusque late in Assyria geret.
Dan. Omnia secundo sic tibi cursu fluent.
Qua lance mores librat humanos Deus,
Pensitat eadem præmia, & pœnas. Manu
Graviore sed tunc jacula torquet, cum tumens
Homuncio, ipsum tentat, immani ambitu,
Æquare Numen. Tuque Genitoris brevi
Futurus hæres, disce quo Numen loco
Tibi sit habendum: docuit exemplo Parens.
At ecce subita luce perculsus, mea
Te video stabili monita servantem fide,
Non falsus augur: video in has lætas plagas
Aurea trahentem sæcla. Per te sit diu
Assyria felix: quodque nunc Deo obsequens
Iterum auspicatur Genitor imperium, pari
Virtute præstans, senior at multo geras.
Addiscat utinam jura, post te qui dabit (a)
Nunquam labare regna, nisi pietas labet.

ESTHER

(a) *Balthasar Nabuchi nepos ob profanata sacra vasa regno, & vita privatus Dan. c. 5. 5. & 30.*

ESTHER

TRAGOEDIA V.

ARGUMENTUM.

Postquam Assuerus, ad coniugalem torum, soliumque regium Esther, Fratris Mardochæi filiam evexerat, Aman, qui in aula, benevolentia Regis, rerumque publicarum administratione principem apud Regem locum obtinebat, indignatione, iraque commotus, eo quod Mardochæus eum flexis genibus, iuxta communem aliorum consuetudinem, adorare nollet, publicas litteras a Rege obtinuit, quibus omnium Judæorum, qui plurimi in vastissimo Persarum imperio commorabantur, luctuosa cædes imperabatur. Huius rei certior factus Mardochæus, universam Judæorum nationem in Esther clientelam, & fidem commendavit, illique, communem causam apud Regem orandi munus iniunxit. Adiit illa Regem, eumque ad solenne convivium, in quo etiam Aman conviva assideret, eo consilio invitavit, ut ibi, inter epulas, munus sibi iniunctum exequeretur. Posthæc, cum noctem immediate subsequentem Rex insomnem degeret, & legendo annales Regni tempus nocturnum falleret, in oculos ipsius incurrit historice descripta Bagathan, ac Thares, qui illius vitæ insidiabantur, occulta machinatio, quam illi Mardochæus opportune patefecit; itaut Rex & suæ incolumitati consulere, & reorum suspendio illorum scelus prævenire potuerit. Lectio hæc Regi occasio, & causa fuit dubitandi, an præmium homini de Rege suo tam benemerito, retributum fuisset, cumque eum nullam habuisse remunerationem intellexisset, ad se vocari iussit Aman, cui mandavit, ut Mardochæum regio equo insidentem, regiisque insignibus ornatum, per publicas vias, triumphantis instar circumduceret. Rebus ita se habentibus, non multum laborandum fuit Esther, ut voti compos fieret. Nam Rex auditis accusationibus, quibus sævitiam, & odium Aman in Judæos, & horum innocentiam illi palam fecit, non solum indictam cladem revocavit, sed etiam Aman suspendi iussit in eodem patibulo, quod Mardochæo paraverat. Lib. Esther c. 5. 6. & 7.

Per fabulæ licentiam tria addimus. Primo Assuerum iussisse, ut Mardochæus non solum per publicas vias circumduceretur, sed insuper in aula ipsa, regali solio sedens Pro-

cerum obsequia, & gratulationes exciperet. Secundo Esther etiam, in publica illa celebritate cum Mardochæo gratulatam fuisse. Cum vero valde familiariter illum alloqueretur, id Aman pravæ alicuius consuetudinis suspicionem movisse, & in hanc ipsam suspicionem Aman fraudolenta dexteritate Regem induxisse. Tertio demum suspicionem omnem a Regis animo amovisse primo Esther, qui suam illi consanguinitatem cum Mardochæo, antea iustis de causis occultatam patefecit: deinde Roboam domesticum Mardochæi famulum, qui ut fingimus, ab Aman blandis, & fallacibus verbis, & ingenti auri vi ad sui Domini occisionem impulsus, cum dexteram ad infligendum illi lethale vulnus extulisset, ingenito quodam horrore correptus, incepto destitit, & facti pœnitens, ad genua Mardochæi procidit, deinde per occultas vias in aulam se contulit, remque totam Assuero, & Esther aperuit.

PERSONÆ.

ASSUERUS *Persarum Rex.*

ESTHER *illius regia Sponsa.*

MARDOCHÆUS *Esther Patruus.*

AMAN *primus inter Regni Proceres.*

ÆGEUS *Reginæ custos.*

ACCARUS *aulicus.*

ROBOAM *Mardochæi famulus.*

Scena Susis in aula Regum Persidis.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

Mardochæus, Ægeus.

Colloquuntur de præsenti rerum ſtatu, poſt conjugium Eſther cum Aſſuero. Mardochæus ab exordio repetit cauſas iræ, & odii Aman in Judæorum nationem.

Mar. IVINA Bonitas, regium poſtquam ad torum
Evexit Eſther; in meum illapſa eſt ſinum
Spes, quæ vetuſtos temperans blande metus,
Brevi futurum ſpondet optatum diu
Finem malorum. O cordis humani Arbiter,
Tu fac ne ad irritum cadat ſpes hæc: ſalus
Populi ſit Eſther: ſolvat hæc noſtra, aut levet
Ex parte ſaltem vincla. *Æg.* Cur timide rogas,
Quod aſſequi in tua eſt manu? nam, quo volet
Regem illa flectet. Eſſe ſi vobis idem
Genus, & eandem patriam noſcat; ſtatim
Deponet iram Rex amans: quin illico
Præbebit aures precibus, illiſque annuet.
Nanque amor amantes reddit unanimes. *Mar.* Adhuc
Nos tegere clauſum pectore arcanum, eſt opus:
Pelagus tumet adhuc: ſæva nondum nos loqui
Fortuna patitur: inter ancipites dolos
Verſamur, hoſteſque inter. Aman pervigil
In damna noſtræ gentis, explorat vias,
Omneſque rimas tentat, ut noſtro ſitim
Cruore ſaturet. *Æg.* Regis in Sponſam favor
Artes retundet. *Mar.* Æmuli indomitus furor
Sævas, in illam clanculum inſidias ſtruet,
Si mihi propinquam ſtirpe communi ſciat.
Satis alieno didicit exemplo ſibi
Eſther timere. Nonne, quem gradum tenet,
Vaſthi tenebat nuper? *Æg.* Occultas Viro
Fraudes aperiat. *Mar.* Quid niſi obtineant fidem?
Procerum ſuorum fraude, ſe captos pudet
Reges fateri. *Æg.* Cauſa quænam tot feros

Commovit æstus. *Mar.* Stabilis in Regem fides.
Meum est, quod ille regnet, & cœli trahat
Quod sospes auras: strictus in jugulum mucro
Prope imminebat, cum impios facti duces,
Mihi nosse, sors dedit, & ego Regi: sibi
Præcavit ille monitus, ac nostro sagax
Consilio, in ipso scelere deprendit reos,
Quos jussit affigi cruci. Occultos vigil
Hæc cura in hostes, quæque non patitur, dolos
Latere tutos, movit in nostrum genus
Furentis Aman odia, præcipites minas,
Fraudesque tacitas. *Æg.* Præmium at quodnam tulit
Illustre factum? *Mar.* Ferre quod virtus solet:
Nullum. Dolosa turba circumstans latus
Regale, sensim voce blandiloqua sibi
Captivat animos Regum, & illis imperat.
Æg. Assuerus, ut puto, est tuæ fidei memor.
Mar. Assuerus, Aman diligit, nostri immemor,
Cumulatque in illum dona munifica manu.
Æg. Cur ergo prona fronte, submisso & genu
Lenire omittis; quem sibi propemodum parem
Rex fecit? *Mar.* Egone prava Persarum sequens
Exempla, sacro honore, quasi Numen colam,
Mortale quidquam? Sol prius; versis equis
Retrorsum, in undas merget orientem diem.
Ne plura in hanc rem. Enixe id unum est, quod rogo,
Reginæ ut adsis, pervigil custos, mea
Illique referas monita, cum poscam: sed hæc
Nulli reveles. *Æg.* Nostra tibi satis est fides
Comperta.

SCENA II.

Aman, Mardochæus, Ægeus.

Supervenit Aman quæritans Esther. Ægeus flexo genu, & fronte prona illum veneratur. Mardochæus vero aliquantulum recedit, & frontem vix inclinat: quamobrem Aman, & Mardochæus inter se altercantur.

Am. UBi Esther?
Æg. Sola secretum subit
Conclave, gressum inferre quo nulli licet.
Am. Non dum illa privatæ exuit mores domus:
Assuevit aulæ non dum... At hic parce nimis (a)

Me

(a) *Innuit Mardochæum.*

Me honorat. *Mar.* Aliter non decet servos coli.
Submitto genua cum colo supplex Deum,
Aut Regem: in ipso nam Deus populo imperat.
Am. Intrepidus animo loqueris, & vultu minax?
Mar. Sperare qui nihil potest, metuit nihil.
Am. Metuere disces multa. *Mar.* Ne doceam cave.
Am. Quem teneo in aula tutus a lapsu est gradus.
Mar. Imo altius, quam par erat, qui se tulit
Est in ruinam pronus. *Am.* Imbelles minas
Pudet timere. *Mar.* Turgidum in Golhiat Puer (*a*)
Prævaluit olim: Fœmina assyrium in Ducem: (*b*)
Jahelis ense Sisaræ abscissum est caput (*c*).
Am. Quid facta Avorum obtrudis, & lapsum decus.
Addunt pudorem, & vincla captivis gravant
Veteres triumphi. Quem colit tua Gens, Deus
Iratus aures precibus effusis negat,
Cæsasque renuens victimas, vestro magis
Fruitur cruore: Numinis vestri vices
Supplebo. *Mar.* Causam siccine obtendis levem,
Cœlo petitam? Ut sævias cogit pavor,
Procerumque funus, cæca quos morti dedit
Ambitio, nosterque excubans, in Regem amor.
Sævire contra me, cupis, ne sim tibi
Frequens timendi causa. *Am.* Cur timeam virum
Humi jacentem, quique quod vitam trahat,
Mihi debet uni? *Mar.* Si tuum munus foret;
Vitæ pigeret: quidquid ergo non rapis
Donum esse dictitas tuum. *Am.* Tibi quod dedi,
Fortasse repetam munus. *Mar.* Hinc Rex non abest:
Audire me non renuet, ut quondam audiit.
Sed abire præstat, ira ne excedat modum. (*d*)
Æg. Veniam meretur, si quid audacter loqui
Illum coegit cordis inopinus furor.



SCE-

(a) 1. *Reg.* 17. 50.
(b) *Judic.* c.13. 10.
(c) *Judic.* c.4. 21.
(d) *Discedit.*

SCENA III.

Aman, Ægeus, Accarus.

Aman conqueritur de Mardochæo, a quo contemni se putat. Accarus eum instigat ad infligendam mortem Mardochæo. Ægeus contra retrahere illum ab hoc consilio artificiose studet.

Ac. QUæ moesta nubes insidet fronti. *Am.* Premit
Lethale vulnus animum, & inter tot bona:
Queis ipse cumulor, esse felicem vetat.
Mihi læta Soboles, opibus est impar domus.
Do jura populis: regna, quæ late jacent
Nilum inter, Euphratemque, mihi parent: meum
Rex esse voluit, proximum solio gradum:
Populi, suique sæpe me patrem vocat,
Sua jussa confert mecum, & imperii meos
Rejicit in humeros pondus. Hæc non sunt tamen
Satis ad medendum vulneri, quo uror miser.
Ac. Te quale vulnus urit? *Am.* Ut paucis loquar,
Contemnor. Idne inultus, & placide feram,
Quod ferre, vulgi e fæce, vix ullus queat?
Ac. Quis audet immane hoc nefas? *Am.* Juxta fores,
Qui perstat aulæ, quemque referentem hinc gradum
Obvium habuisti. Cum fero huc gressus, vel hinc
Domum revertor, me truci vultu, minax
Diu intuetur, cumque succiduo est genu
Prostrata plebes, militum utrinque & cohors
Submittit hastas, ille ne frontem quidem
Inclinat, oculos & alio vertit tumens,
Spernentis instar. *Æg.* Ergo te miserum potest
De plebe quivis reddere, arbitrio suo?
Spernenda sunt hæc. *Ac.* Debitam pœnam luat
Contemptor audax. *Æg.* Nulla sic pietas erit
In miserum, iniqua quem premit Fortuna? *Am.* An est
Pietas vocanda, sceleris exemplum nocens.
Quæ sinit inultum, quæque multiplicat reos,
Dum parcit uni? *Æg.* At ille Tharesis, vigil, (a)
Baghatanque Regi aperuit insidias. *Am.* Satis
Ergo est, ut aliquis peccet impunis, probum
Olim fuisse. *Ac.* Pondus addit non leve,

Præ-

(a) *Nomina Proditorum Assueri, ut habetur lib. Esther c.* 21. 22.

Præterita probitas crimini. Excelso e loco
Nam qui deorsum fertur in præceps, ruit
Graviore lapsu. *Am.* Quod mihi & Regi ratum est.
Pereat scelestus. *Æg.* Forsan id facti memor,
Veterisque fidei conscius Rex, non sinet,
Qui debet illi sceptra, vitamque. *Am.* Hæc putant
Esse sibi debita officia: raro & solent,
Meminisse Reges. *Ac.* Nemus ubi annosum viret,
Illico recidi præcipe excelsam trabem,
Ex qua superbum, audaxque suspensum caput,
Supplicii in omnes latius spargat metum:
Sic satis honori cautum erit. *Am.* Non dum satis.
Vindicta totum perdat invisum Genus:
Involvat una quoslibet clades.. Sed huc
Festivus ore Rex properat. Operi favet
Lætum omen. Ite hinc, solus ut Regem alloquar.

SCENA IV.

Assuerus, Aman.

Colloquuntur de tranquillo regni statu, ad quem firmius stabiliendum Aman artificiose suadet Regi, ut Judæorum cædem decernat.

As. O Fide, amansque Regis, & populi parens,
An recte, ut ante, res se habent regni, an secus?
Inopina sæpe, quæ minus Reges timent,
Pericla subeunt. *Am.* Jure gaudendum est tibi:
Læta omnia. Silet jam diu armorum fragor:
Redimita crines fronde palladia, tuas
Pax lustrat urbes, arcet & Martem procul.
Sed est triumphis parta, qua frueris quies.
Timent te inermem, quem prius belli ducem
Timuere Reges exteri. Sic trifidos licet
Deponat ignes, nec tegant nubes diem,
Jovem timemus. *As.* Grator horrisonas tubas
Siluisse tandem. Legibus servat suum
Pax alma robur, quæ vigent frænat metu
Pœnarum, iniquos civium mores, fovet
Ingenia, & artes, mercibus ditat rates,
Oneratque pingui messe flaventes agros.
Nunc est cavendum, ne latens populi in sinu
Tumescat ulcus: gravius internum nocet
Civile bellum, quam hostium externus furor;

Bel-

Am. Belligera virtus quos tuo imperio antea
Per vim ſubegit, ferre nunc læti jugum
Suave certant; juſſa quin certat tua
Servare quiſque, nec metu pœnæ; at quia
Tua juſſa, teque Regem amat. Nullus modus
Laudum eſt, amoris nullus. Arcus quid loquar,
Statuaſque conſtructas tibi? ne aras ſtruant,
Religio prohibet; fræna ſed laxans amor,
Superis, tibique thura, quam primum dabit.
Hæc pacis inter tot bona occulitur tamen
Aliquid timendum. *Aſ.* Loquere: quid? *Am.* Preſſi jugo
Sint licet Idumæi, haud levem præbent tuo
Cauſam timori. *Aſ.* Prorſus abjecti jacent.
Am. Jacuere domiti ſæpe; ſed nunquam ſatis.
Pharao jacentes ſprevit (*a*), at demum maris
Naufragus in undis, vidit ultricem fugam
Arripere tutos. Rima fac pateat ſpei,
Animum recipient: exerent vinclis manus,
Et bella rurſus, exitu incerto, gerent.
Aſ. Virtute, numeroque impares quidnam audeant?
Am. Omnia; Si ut olim, attonita nunc iterum ſuas
Natura leges videat inverti. Potes
Jure id metuere, mente ſi tecum exigas
Vetuſta ſæcla. *Aſ.* Caſtus at frontis pudor...
Prudens loquela.. Vultus.. inceſſus gravis..
Demiſſa pingens ora virtutis color...
Am. Vana hæc: doloſa hac arte nunc rabiem tegunt
Adhuc inermem; ſed tegunt fruſtra. Sat hæc
Factis retegitur. Nonne conveniunt ſimul
Ut execrentur quos Deos colimus, ſuum
Rogentque Numen precibus effuſis, ſtatim
Mittat ut ab aſtris Vindicem, dextra potens
Qui dura frangat vincula, atque illis iter
Sternat, cruenta cæde, ad antiquos lares?
Inſuper ut aliquos diſſonos rithmos canant,
Vim queis ineſſe theſſalam, prudens reor.
Crede mihi, ut illos deleas, regni ſalus,
Diique poſcunt. *Aſ.* Cedo: deleri placet.
Tua juſſa noſter anulus faciat rata (*b*)
Am. O me beatum! ulciſcar: o fauſtum diem!

ACTUS

(a) *Exod. c.* 14. 28.
(b) *Porrigit illi anulum, quo ſua decreta obſignet, ac diſcedit.*

ACTUS II.

SCENA I.

Mardochæus, Ægeus.

Occasione cladis indictæ Mardochæus mittit Ægeum ad Esther, qui, nomine ipsius illi imperet, ut Regem adeat, & supplex causam Populi Judaici tueatur. Colloquentes in scenam prodeunt.

Mar. NAtura, Regi quidquid insevit boni
Corrumpit Aman, arte, qua pollet vafer,
Formamque honesti delet. *Æg.* An quidquam novi est?
Mar. Te scire cædem nuper indictam puto.
Æg. Ignoro penitus. *Mar.* Ante, quam cursum annuum
Sol peragat, Urbes alluet large cruor
Isacidum, & undas Tigris horrescet suas.
I propere ad Esther, perfer hoc jussum: Genas
Pallens, comasque effusa Regem adeat; suæ
Causam peroret Gentis; at lacrymis magis,
Quam voce. *Æg.* Veteri lege sancitum est, luat
Ut morte pœnas illico, audaci gradu
Ante ora Regis quisquis injussus venit;
Nisi Rex in illum blandus obvertat statim
Regale sceptrum, cui osculum innixus genu
Infigat ille. *Mar.* Dubius eventus rei
Sit licet, & anceps quod jubeo; jussum tamen
Prompte exequatur: nanque qui vitam ob suam,
Populi salutem negligit, vitæ optimum
Ignorat usum. Magnanima Judith suæ
Se victimam Genti obtulit; sævum hinc, Dei (a)
Munere, Tyrannum vicit, & truncum caput
Retulit in Urbem. Judith exemplum sequi
Ne pigeat Esther, quippe par referet decus,
Paremque laudem, sit licet dispar opus.
Non illa ferro, at lacrymis bellum geret,
Non vincet hostem; sed Virum. Callet satis
Has mulier artes. Si tamen renuat; Deus
Transferet in aliam regii fœdus tori,
Regnumque. Docilem illius at nosco indolem,
Animumque fortem: jam diu didicit nihil
Timere. Velox perge. *Æg.* Res feliciter,

Ut

(a) *Judith. c.13. 10. & seq.*

Ut ſpero, cedet (*a*) *Mar.* Rebus afflictis opem
Fer alme Tutor, generis & noſtri Parens.
Te flectat uber Virginum rorans genas, (*b*)
Puerûmque ab oculis fletus aſſidue fluens.
Fidelis Abræ te fides moveat: pius
Te moveat Iſac.

SCENA II.

Mardochæus, Accarus.

Colloquuntur de publicis Judæorum gemitibus, eorumque cauſa: quo occaſione Accarus ſuadere Mardochæo fruſtra conatur, ut Aman flexis genibus cultum exhibeat.

Ac. QUI fragor? quænam undique
Reſonant querelæ? Syrmate indutæ nigro
Turbæ pererrant plurimæ, circa domos,
Ipſaſque circa regias ædes, ſonos
Pectore trahentes flebiles, queis aſſonant
Colles propinqui. *Mar.* Flere quis miſeros vetet?
Ac. Unde novus oritur luctus? hic, unde inſolens
Doloris æſtus? *Mar.* Cauſa lugendi nova eſt,
Indicta clades. Inclytum Abrahami genus,
O Gens propinqua Numini: o magnis Avis
Oriunda Soboles: heu dolor! te ſiccine
Te pecudis inſtar, nullius culpæ ream,
Nulli timendam impune mactari jubet
Ambitio præceps? *Ac.* Tollere hanc cauſam potes,
Si properus Aman poplite inflexo colas.
Mar. Nunquam erit ut hoc patrem ſcelus, non ſi rotis.
Et inſtet Aman facibus, & ſtygius furor
Qua ſævit arte.. En adſtat.. o dirum caput (*c*).

SCENA III.

Aman, Accarus.

In rabiem agitur Aman, & Mardochæi mortem ſtatim jubere decernit, ſimulque Judæorum gemitus, & clamores ſtatim cohibere, ne tumultus aliquis excitetur in populo.

Am. CONtemnor adeo, ut imminens ne mors quidem
Animum ſuperbum flectat? At meritas lues
Ini-

(a) *Diſcedit.* (b) *Judæorum per vias incedentium gemitus & querelæ audiuntur in aula.*

[c] *Diſcedit Mardochæus Aman inſalutato.*

Inique pœnas. Lentus ulciſcar diu,
Te fera mors ut cruciet, & mea longior
Ut ſit voluptas. Poſſet o utinam ad colum
Revocare Lacheſis, ducere atque iterum tuum
Vitæ reſectum ſtamen, ut ab Orco redux,
Pœnas ſubire rurſus. O vos quæ reos
Torquetis ultrices Deæ, ſtygios lares
Deſerite, ferte huc Sisyphi dorſo incubans
Immane pondus, orbitamque Ixionis
Quæ membra volvens laniat: huc roſtrum vorax,
Tundens perenne, vulnere aſſiduo, jecur:
Huc inter epulas Tantali ſiccam famem:
Huc urna quotquot Æaci claudit mala.
Sed cur ab Umbris, quas ſibi finxit timor,
Præſidium inane poſco? Qua felix fruar
Sors læta, in illum vulturis munus geret,
Animamque fodiet invidam. *Ac.* Ageſis comprime
Furoris æſtus. Ira, quæ ulciſci nequit
Clamat, furitque. Cur iners ducis moras?
Decerne pœnas ocius. *Am.* Menti id ſedet,
Citiuſque peragam. Hæc prima procumbet mihi
Victima: ſubinde patriis Diis cadent
Aliæ minores. *Ac.* Jam Duci inferias agunt
Lugendo turbæ *Am.* Fletus hic fraudem tegit,
Doloſque: Eo etenim ſpectat, ut ſi fors opem
Latura miſeris arma plebs capiat furens;
Facinus quod audet impudens, falsa obtegat
Pietatis umbra. *Ac.* Perge, feſtinus malo
Occurre. Poſtquam flamma ſe late extulit,
Effundere undas nil juvat. *Am.* Pronum, eſt rudem
Decipere plebem. Ficta ſpes veniæ, illico
Abſterg et oculos: eſſe nam Regi ſatis
Simulabo ut unum mors premat: reliquos metus.
Cohibeat.. At Rex tendit huc celeri gradu.
Ac. Quid mente volvit inquies?



SCE-

SCENA IV.

Aſſuerus, Aman, Accarus.

Aſſuerus poſt decretam Judæorum cladem, viſis horribilibus torquetur; unde timore agitatus Aman, & Accarum conſulit, quorum alter mitius ei conſilium ſuggerit: alter vero, nempe Aman, magicis Mardochæi artibus has Regis perturbationes & vanos metus tribuens, illi ſuadet, ut celeriter executionem ſupplicii imperet.

Aſ. QUO me feram! (metus
Quis poterit, animum qui meum torquent
Lenire dictis! Ferte opem: tuque o Parens
Succurre Regi. *Am.* Pande, quænam te premat
Inopina cura. Vulneri occulto nequit
Quippe ars mederi *Aſ.* Gentis abrahamiæ fuit
Statuta mors poſtquam; incubat menti gravis
Nox atra; pavidum pectus illaqueat gelu,
Lacrymiſque pallens vultus injuſſis madet.
Sepe mihi ob oculos funebri indutæ peplo
Verſantur umbræ: ſepe mihi viſus cruor
Fluitare ſpumans media in aula, & quà fluit
Terrificus ignis ſurgere, ac longa atria
Volitare circum. Hæc inter, anceps hæreo,
Portenta rerum: quid miſer fugiam, aut ſequar
Eloquere primus (*a*) *Ac.* Congruum quamvis putem
Delere Gentem barbaram, quæ nil habet
Commune nobis, ne Deos quidem, in dies
Quæque aucta numero, opumque jam dives, ſuas
Secum ipſa tacita examinat vires; tamen
Cum loquitur Æther hiſce portentis, ſua
Et luce retegunt aſtra, quid Fati tenor,
Legeſque jubeant, cedere his debet Genus
Mortale. An aliquis ſtirpe terrena ſatus
Obſtare fatis poſſit, ipſum quæ Jovem,
Si forte nolens renuat, invitum trahunt?
Cede ergo fatis: priſtinam mentem exue,
Clademque ſaltem differ. (*b*) *Am.* Hæc deliria,
Nugaſque aniles ſperno: nam quiſque eſt ſuæ
Sibi ſortis arbiter: rapit cæli impetus
Orbes fugaces ſiderum, noſtri inſcios.

Por-

(a) *Innuit Accaro.*
(b) *Aſſuerus dexteræ nutu jubet ut loquatur Aman.*

Portenta, quæ frustra times, sunt ludicra
Simulacra rerum, artisque thessalicæ labor.
Quot monstra Moses, arte Circæa potens,
Quot ille pestes extulit nigra e Styge.
Monumenta prisca vera si narrant, aquas
E silice traxit, quam impulit virga. Sibi
Mediis in undis stravit arentem viam,
Præripere solem noctis alternas vices,
Medioque ab axe retrogradi jussit diem.
As. Quorsum hæc recenses? *Am.* Ductor Isacidum hic fuit,
Magicasque populo, mysticis scriptas notis
Artes reliquit, quas colit, secumque habet
Judæus ille, qui fores vultu minax
Frequentat aulæ regiæ. Sævas tibi
Ille, ille curas peperit: e stygio lacu
Manes revulsos ille in hanc aulam intulit.
Primum hunc cruenta morte mactari jube,
Lemures sequaces ocius secum ferat
Cocyti ad undas. Unica hæc patet via,
Qua cordis ægri desinant æstus, redux
Et pax serenos Persidi referat dies

SCENA V.

Assuerus, Esther, Aman, Accarus.


Esther injussa ad Regem venit, eumque ad celebrandum secum simul cum Aman solenne convivium invitat eo animo; ut inter epulas causam suæ Gentis peroret, & fraudes Aman retegat.

Es. QUI splendor oris! quod decus!
As. Nostros subit
Injussa vultus! *Es.* Deficit cordi vigor,
Membraque labascunt, eripitur oculis dies (a)
As. Accurrite.. levis pallor hic, quantum genis
Decoris addit! Cur times! Lex quæ necem
Statuit in audaces, fateor, omnes premit.
Exciperis at nostri & tori, & regni comes.
Animos resume. Regium hoc sceptrum, metum
Eripiat omnem. *Es.* Mens redit, jam oculi die
Rursus fruuntur. Obstupet nunc mens tuo
Defixa in ore *As.* Causa sed quænam obruit
Stupore mentem? *Es.* Frontis augustæ decor,

Qui-

(a) *Deliquio corripitur, & ab Ancillis sustinetur.*

Quique mihi visus fulgor ex illa emicans,
Ut nube scissa fulget inopinus dies.
As. Luna mihi sed tu visa, terræ decolor
Cum pallet umbra, quæ mage obtutus trahit,
Oculosque dubia luce delectat magis.
Effare nunc: quidnam rogas? Quid quid petas,
Mea licet ampla regna, semper nostro erit
Impar amori. Incerta cur trepidas adhuc?
Es. Te posco mi Rex. *As.* Postulas, quod jam tuum est:
Aperta loquere. *Es.* Si jubes, clare loquar:
Cras posco, mecum ut hilaris (audax sed nimis
Votum est) *As.* Quid ego cras? *Es.* Posco ut accumbas
Conviva mensæ, utrique & assideat comes meæ
Tibi gratus Aman. *Am.* Solvere haud nostræ est opis
Pro munere pares gratias. *As.* Adero, ut cupis
Curas & utinam parva compescat quies!
Es. Animi quiescet æstus: Iris nuntia
Pacis redibit: læta vaticinor. *As.* Gradum
Hinc Sponsa retrahe: nolo me coram, ut meo
Dolore doleas, & meum cumules tuo
Es. Abeo: verendis obsequor jussis libens (*a*).
Am. Confido Sponsam compotem voti fore,
Si protinus, venefici sparsus cruor
Proludat epulis. *As.* Crastinum ut Phoebus diem
Extulerit undis, eligam mortis genus (*b*)
Ac. Decreta mors est, hoste prostrato hauries
Calices opimos hilaris, & dulcor novus
Accedet escis. *Am.* Pluries, pedibus teram
Lacerum cadaver, cujus & cineres manu
Spargam per auras. Illius cuperem mihi
Lethæa adesset Umbra, cum strato super
Reclinis ostro, regiis vescar cibis.
Torqueret illam sævius livor, cohors
Quam dira Averni. Rursum at aures lugubres
Feriunt querelæ; gradior ut fictæ spei
Alimenta præbens, flebiles remorer sonos.



AC-

(a) *Discedit.* (b) *Discedit.*

ACTUS III.

SCENA I.

Assuerus, Ægeus.

Prodit in Scenam Assuerus, præ manibus habens annales Regni, quos noctu lectitans, cum incurrisset in factum Mardochæi, meminit illum, suæ fidelitatis nullum præmium retulisse. Sed cum ab eo remunerando retrahatur à calumniis Aman; opportunitate capta, falsas illius criminationes, felici exitu, Ægeus diluit.

As. Regni, meique Assertor oblitus jacet?
Ætas Nepotum sera, quæ annales leget,
Me jure, ut ingratum arguet.. Verum nefas
Artis sacrilegæ, qua ciet tumulis leves
Umbras, fugaces, carmine & diro movet,
Turbatque mentes, erit inultum? Quod meos
Stupidos ob oculos fluxerint rerum horridæ,
Variæque formæ, & horream insolito metu,
Illius, Aman imputat magicis dolis.
Æg. Aman, vetusta flagrat ira in vindicem,
Tuique columen.. Ante quam incuterent metum
Tibi spectra, celsam jusserat cædi trabem,
In qua subiret, gutture eliso, necem
Invisus Heros *As.* Causa quænam odii. *Æg.* Altera
Mors proditorum, quos sibi arcto foedere
Junctos amabat: Altera est cultus sacer
Illi negatus. *As.* Ambitio, quæ nec Diis
Parcit, timenda est Regi *Æg.* Eo sit cum hactenus
Progressa; sceptrum ne tibi invideat, potest
Merito timeri. *As.* Sed quis in me Tartari
Excivit Umbras? *Æg.* Crimen hoc, plene Viri
Perspecta diluit fides. Certe Vir est,
Pietate clarus, fraudis expers, recti amans.
As. At sæpe virtutis color vitium tegit.
Æg. Vitium latere tandiu nescit: brevi
Ægroti in ore, sit licet clausum sinu,
Se prodit ulcus. Quidquod æmoniæ reus
Si fraudis esset, potius infensum in caput
Ferocis Aman, squalidas Erebi e specu
Movisset umbras? Crede mihi, Cælum monet
Nos sepe visis. Quæ manus Regi metum (a)

In-

(a) *Dan.* c.5. 5.

Incussit impio, propinaret sacris
Cum vina pateris, inter obscenas dapes,
Nonne fuit ultoris Dei? Ut Numen coli (*a*),
Qui voluit amplis opibus, & regno tumens,
Annon coactus vindice est Cælo, feræ
Induere speciem, colere & abruptas specus,
Nemorumque latebras? Quæ times, Superis velim
Portenta tribuas. Hisce te monstris Dii
A clade revocant impia, quam Aman cupit,
Ac poscit, iræ ut impotens, populum suo
Litet furori, negligens de te arbitra
Quid fama narret. *As.* Jam sile: nam id quod mones
Amplector ultro. Quem antea ut Populi patrem,
Regisque amabam, odisse vis quædam latens
Me cogit, illumque piget, & graviter pudet,
Hactenus amasse. *Æg.* Sæpe Regum cor Deus
Immutat, id cum postulat regni bonum
Commune. *As.* Me utinam luce divina regat,
Ne recto aberrem. Sed quid ultra præmium
Remoror? An aulam subierit quisquam, vide.
Æg. Aman adest (*b*). *As.* Huc protinus gressus ferat,
Tuque redi ad Esther, cui refer, mihi quam inquies
Sit mens, eamque posse, sævas, queis premor,
Lenire curas (*c*). *As.* Hancne mihi reddit vicem
Ingratus, illum prætuli postquam omnibus
Regni Proceribus, cæteros supra, ad gradum
Solio propinquum sustuli postquam.

SCENA II.

Assuerus, Aman.

Assuerus interrogat Aman, quanam honoris significatione honorandus sit vir, de Rege optime meritus; Deinde postquam ab illo audiit, regiis insignibus ornatum, & regio equo insidentem ducendum esse per publicas vias; imperat ut ipse equi frænum regens Mardochæum sic ornatum per Urbem circumducat, & postea in aula eidem sedenti in regali solio & ipse, & Proceres omnes obsequantur.

Am. Dies
Demum refulsit, quo luat pœnas tui
Æqua-

(*a*) *Dan.* c. 4. 28. & 30.
(*b*) *Aliquantulum recedit, & respicit, an aliquis adsit.*
(*c*) *Ægeus discedit.*

Æquare nunquam poterit admiſſum ſcelus.
Aſ. Meritis retribuunt præmia effuſe Dii,
Pœnas repoſcunt parcius. Reges decet
Sequi Deorum exempla. Primo ergo meum eſt
Cumulare donis laude præſtantes viros.
Oblita ab aliis ſpernitur virtus; niſi
Principibus illa fuerit in pretio: Dein
Punire noſtri eſt muneris culpæ reos.
Am. Vox Rege digna! *Aſ.* Loquere, quænam ſint Viro
Statuenda honoris ſigna, quem Princeps velit
Decorare, factis inclytum. Fingas licet
Quid grande, & excedens modum; meritis tamen
Impar futurum cenſeo. *Am.* [Magnum hoc mihi
Decus paratur] (*a*) Poſſet auguſto comas
Præcinctus auro, purpura indutus, tuo
Celſus equo, & inter Civium plauſus, vehi
Mediam per urbem, illius effuſis latus
Circa, Proceribus, ex quibus primus, manu
Fræna regat, atque identidem ſiſtens gradum,
Hæc ore promat: Subditi egregiam fidem
Sic Rex honorat. *Aſ.* Laudo; ſed ... (*b*)
Am. [Proh quam fremet
Contemptor audax] *Aſ.* Hic in aula regia
Obſequia referet nulla? *Am.* [Res eſt in vado]
Ovantis inſtar publicas poſtquam vias
Obierit, aulam repetat, ubi ſolio ſedens,
Obſequia procerum excipiat: hi nixi genu,
Dextram oſculentur, rebus & geſtis Virum,
Celebremque amore Regis, ut Regem colant.
Subinde reſonent laudibus circum atria,
Iterentque clarum nomen Herois tubæ,
Lituique, plebiſque fremitus: hæc curia
Vix non fatiſcat, pulſa repetitis ſonis (*c*)
[Videbo lætus, ad pedes pronam meos
Frontem ſuperbam] *Aſ.* Aſſentior: pompam inſtrue.
Hos Mardochæi in me fides ſibi debitos
Referat honores: fræna tu dextra rege *Am.* At ...
Aſ. Exequere juſſa: ne quid immutes, cave (*d*).

(a) *Secum ipſe putat ſibi parari hunc honorem.*
(b) *Aliquantulum cogitabundus hæret*
(c) *Rex audita ſecum tacitus mente revolvit.*
(d) *Diſcedit.*

SCENA III.

Aman.

Attonitus tanquam fulmine ictus hæret, deinde in execrationes erumpit, ac diras sibi, & Mardochæo imprecatur.

Vix ipse mihi vix auribus tribuo fidem . . .
De me triumphum referet . . . & patiens feram?
Illius itane pedibus advolvar? Dii
Siqui estis, arcete hoc nefas: jaculis Tonans
Me simul, & hostem feriat . . . At flectam Inferos,
Si nequeo Superos. Stygia diffundat palus
Umbras cruentas: patuit huc illis iter:
Tuque, o Megæra, huc advola, anguiferas comas
Excute in utrumque: incende tartarea face
Hanc regiam aulam; quin meam opulentam domum,
Urbemque totam: flagret impositum huic rogo
Meum cadaver . . . Ensis ah melius meum
Prævertat imminens probrum, & vitam auferens
Imminuat hosti gaudium . . . Insanus sed hæc
Loqui dolor, me cogit. In votis habet
Nil potius ille, quam pede audaci meos
Calcare cineres. Urna, qua condar, basim
Substernet, hilaris quam super tollat sibi
Victor trophæum. Sim miser quamvis, tamen
Vixisse præstat, usque dum ulciscar. Dabis
Inique pœnas . . . Interim heu! circumferam
Humilem pudore vultum, & audaci jocos
A plebe patiar.

SCENA V.

Aman, Accarus, Ægeus.

Colloquitur Aman cum Accaro, & Ægeo de suo infortunio, qui tamen illius querelas sic excipiunt, ut minime approbent, quæ ex illius ore contra Regem excidunt.

Am. Accare, oh quam me invenis
Diversum ab illo, qui prius regni arbiter
Obsequia populorum inter, & stratas humi
Turbas vehebar. *Ac.* Cur putem te alium? *Æg.* Novi
Quid

Qnid ferre potuit temporis ſpatium breve ?
Am. Mihi juſſit Aſſuerus (o dirum nimis ,
Lethale juſſum) ut Mardochæum , regia
Humeros amictum purpura , urbis per vias
Populo frequentes , ducam . Equi dorſum premet
Regalis ille : at ipſe flectam , ehu quam pudet ,
Regamque habenas . Præmium hoc illum manet :
Me tale probrum . Recidit in noſtrum caput
Decreta cædes , quæque conſilio tuo (*a*)
Illi parata mors erat : Quoſnam dolos ,
Quas ille fraudes ſtruxit ? *Ac.* Ignotum eſt mihi .
Æg. Niſi forſan antiqui memor facti , vicem
Rex nunc rependit . *Am.* Arte me occulta æmulus
Decepit aliquis . Melius , ah melius foret ,
Inter Macedones , unde jam duxi genus
Traxiſſe vitam , perſicæ quam aulæ fores
Subiiſſe ; Regis hic ubi ingenium minus
Sagacis , & vos noſtis , inſidiis patet .
Ac. Non niſi ſagacem novimus . *Æg.* Mens eſt ei
Solers , vigenſque . *Am.* Noſco ; ſed cogit dolor
Me talia loqui [Perfidi] Juſta eſt tamen
Mihi dolendi cauſa . Quis veſtrum id neget ?
Æg. Rex imperat . *Am.* Sed captus alienis dolis .
Apella vilis , itane munus , quod meum eſt ,
Fraude occupabit ? itane bellorum arbiter ,
Paciſque , vaſti pondus imperii feret ,
Imparibus humeris ? Spectat huc certe imminens
Hodie celebritas . Accare , ut puto , id improbas ?
Ac. Rex imperat . *Am.* Jam noſco ſatis artem : piget
Hactenus amaſſe , quos mihi ſocios dedit
Spes cupida lucri , non amor . Regis favor
Vix periit ; ecce deferor . Sed non me adhuc
Deſeruit animus . Sortis everſor meæ ,
Meique honoris carnifex , fors non diu
Læta fruèris ſorte . . Me miſerum , furens
En rurſus inſanit dolor . Tollam moras :
Rex imperat , parebo [fingere me juvat .
Parem in ruinam vos ruens forſan traham] (*b*)
Ac. Zephiro favente vela , quæ explicuit ratis
Alliſa ſcopulis hæret . *Æg.* Uti ſic decet
Nos ſorte , ut utens proſpera , adverſam brevi
Timeat futuram . Eſther , ſed aliorſum vocat
Me , cura (*c*) *Ac.* Prudens timeo , ne puppim obruat

(a) *Alloquitur Accarum .* (b) *Diſcedit .*
(c) *Diſcedit .*

Stridens procella, & fracta ne demum, maris
Procumbat imo in vortice: onerosa est nimis:
Præceps deorsum pondere urgetur suo.

ACTUS IV.

SCENA I.

Mardochæus, Aman, Ægeus, Accarus.

E regali solio Mardochæus obsequia, & gratulationes excipit. Postremus omnium accedit Aman, qui ita gratulatur, ut animi indignationem, verbis præseferat. Illum Mardochæus gravibus dictis reprehendit.

Æg. QUod tua retulerit præmium virtus, mihi
Sic esse gratum crede, gratius ut nihil
Vel fuerit ante, vel putem posthac fore.
Lætitia pectus obruit.. Dextræ osculum
Permitte. Cupidus plura, quæ vellem loqui
Nimia voluptas prohibet: hæ lacrymæ interim
Sint vocis instar. *Mar.* Surge, & amplexus cape
Veteris sodalis (*a*) *Ac.* Tota si mecum, tuos
Prostrata Persis ad pedes, meritos tibi
Redderet honores, esse ad obsequium satis
Vix id putarem: nam tibi acceptum refert,
Quod vivat ille, cujus imperio, aurea
Ætate fruitur. *Mar.* Non is ego sum, qui putem,
Servasse Regem sospitem: insciam impulit
Mentem, supremus Motor, ignara ad scopum
Ut vibrat arcu tela, jaculatrix manus.
Agantur illi gratiæ, & laude illius
Hæc aula resonet (*b*) *Am.* Imperat, quæ Rex, sibi
Nemo pudori vertat. Ut ligno in rudi,
Aut lapide Superos colimus; in te sic libens
Veneror jubentem, cujus hac læta die
Indueris ostro regio, & munus geris.
Mar. Specie hac inani haud efferor, nec me latens
Ambitio tangit: Hæc enim, meritis carens,
Pennis in altum fertur icariis, brevi
Ruitura; tumidus ut vapor vi non sua
Ad astra tendens, qui cito abiectum in lutum

Re-

(a) *Surgit, & post Mardochæi amplexum aliquantulum recedit.* (b) *Surgit Accarus & aliquantulum recedit.*

Recidit paluſtre. *Æg.* Pergit huc celeri gradu
Regina (*a*). *Mar.* In occurſum propero. *Am.* [Promta eſt manus,
Quæ te ſilere cogat. Ultrices Deæ
Imbuite jaculum tabe viperea.]

SCENA II.

Eſther, Mardoehæus, Aman, Ægeus, Accarus.

Eſther, & Mardochæus familiariter colloquuntur: cum vero Eſther non leve ſuæ cum Mardochæo cognationis præbeat inditium, ab illo ſecreto admonita, conatur ſuſpicionem, ſiqua ſuborta eſt, auferre. Ex intima Eſther cum Mardochæo familiaritate, occaſionem accipit Aman male ſuſpicandi, eoſque apud Regem illiciti amoris accuſandi.

Eſ. TUis
Ne pedibus advolvar vetat, qua nunc fruor
Conditio: quod tamen licet, tibi offero
Sincera cordis obſequia. *Mar.* Loquere, ut decus
Regale poſcit. Munus eſt famuli obſequi:
Tuum eſt jubere. *Eſ.* Da mihi, hoc unum impero,
Ut te parentis inſtar habeam, quandiu
Hac luce vitali fruar: nunquam excidet
Tam dulce nomen: nulla delebit dies,
Quam bene merueris de me. *Mar.* At id pluſquam ſatis
Rependit hodie Rex memor facti. Tuum
Quod vero reputes, ſiquid in Regem boni
Conferre potui, laudo: nanque id poſtulat
Sociale thalami foedus. *Eſ.* Aliorſum accipis
Mea dicta: memorem te volo antiqui ſtatus.
Mar. Præſentis eſſe te magis memorem volo.
Eſ. Multo ante devincta tibi tot titulis, iners
Nil ego reponam? & eſſe me ingratam cupis?
Sic noſtra renuis officia? Potius jube
Regalem ut aulam deſeram: repetam libens
Natale tectum, dummodo obſequi tibi,
Ut ante, liceat. *Mar.* [Sic fidem datam, immemor
Violas? ſilendum ſic tuum pandis genus (*b*):
Hic aſtat Aman: non adhuc tuta eſt ſalus.
Eſ. Culpa eſt amoris tota, qui mentem mihi

(a) *Surgit Aman, & e ſolio deſcendit Mardochæus.*

(b) *Quæ inter has veluti parentheſes* [ ] *clauduntur, incipiendo, ab illis verbis - Sic fidem &, uſque ad hæc alia: Mihi obſecundes Mardochæus, Eſther ſecreto dicunt.*

Abripuit aliò. *Mar.* Siqua fors ſuſpicio
Suborta in aliquo fuerit, aboleri eſt opus.
Eſ. Delebo facile, ſi tamen mecum loquens
Mihi obſecundes] *Am.* [Comperi pluſquam ſat eſt (*a*).
Gaudent, dolentque: identidem pallent, ſilent:
Alter & in ore alterius immotus ſtupet:
Secreta ſe inter colloquia miſcent.. Vigil
Huc cura recidit regni, & in Regem fides.
Adibo Regem: offertur ultro occaſio;
Feſtinus utar (*b*) *Eſ.* Annuet votis. Sile] (*c*):
Rem teneo. Nil moræ futurum cenſeo
In Rege: quid fruſtra times? *Mar.* Res eſt tamen
Agenda caute. Sæpe vel litus prope
In Brevia, ſyrteſque ratis urgetur. *Eſ.* Timor
Sed ſæpe nimius arcet a portu ratem (*d*),
Viciſſe tandem licuit: invictum, prece
Lacrymiſque flexi pectus. Accepti loco
Muneris habebo, quod dabo munus (*e*). *Mar.* Nitet
Quot dives animi dotibus! caſtus pudor
Religio, probitas, providum ingenium, & ſagax,
Magnanimus ardor, menſque propoſiti tenax,
Omneſque celi Charites imperium tenent
Eſther virili in corde, divinum & genis
Afflant honorem. Decuit æthereum jubar
Cumulari in illa, quæ, ſacri ut Vates canunt,
Mulierem adumbrat inclytam, erumpet ſalus
Noſtri unde Generis.



SCE-

(a) *Secum ipſe Aman hæc loquitur. Interim Eſther, & Mardochæus ſeſe inter, agunt ſeorſim, perinde ac ſi pergerent ſecreto alloqui.*

(b) *Diſcedit.*

(c) *Hæc & quæ ſequuntur publice loquuntur, ſed ſimulate, & artificioſe, ut nempe amoveant ſuſpicionem ſi qua orta eſt de eorum cognatione.*

(d) *Alloquitur Accarum.*

(e) *Diſcedit ſimul cum Ægeo, & Accaro.*

SCENA III.

Aſſuerus, Mardochæus.

Amplectitur Rex Mardochæum, eumque laudat. Mardochæus ſe Regi paratiſſimum offert ad bellicos labores ſtrenue ſuſcipiendos.

Aſ. IN meas ulnas veni
Sublime fidei exemplar, Heroum decus,
Tutela Regni, Regis aſſertor, tuæ
Gentis honor. Hæc referre debueras prius
Indicia noſtri amoris; aſt oblivio
Me cœpit invitum: hoc tamen placitum puto
Fuiſſe Superis, nomen ut contra tuum
Cum jaceret umbras livor; illud tunc magis
Solis refulgens inſtar, offuſas, retro
Tenebras abigeret in Erebi cæcos ſpecus
Mar. Siquid mea fides præmii meruit, ſtatim
Retulit: laboris ampla nam merces fuit
Placuiſſe Regi: quidquid additum eſt ſuper,
Minus eſſe cenſeo. *Aſ.* Hæc tua egregia indoles,
Blanduſque ſermo mihi pudorem auget. *Mar.* Pudor
Sed hic adauget præmium. Calcar novum
Ad fortia, tuus addet amor. Uſtas face
Nimis propinqua ſolis, aut glacie invias
Penetrabo arenas: pectus obiiciam hoſtibus,
Furit ubi Mavors ſævius: pelagi petam
Impervios uſque hactenus nautis ſinus:
Audebo quidquid juſſeris: vires dabunt
Tua juſſa. *Aſ.* Forte o pectus, o Vir, cui pares
Haberet utinam Perſis! Agnoſco tui
Et robur animi vividum, & cor neſcium
Timere, quod alii timent. Urget tuum
Si cor, cupido gloriæ, haud dubita; arduum
Te per iter illuc dirigam, ubi laurus frequens,
Palmæque ſuccreſcent tibi. O quoties tuos
Canet triumphos Fama centenis tubis,
Refluuſque vaſto pandet Oceano Tigris:
Mar. Invidia at ægre, me advenam ignotum, feret
Frui hoc honore *Aſ.* Sed feret. Te fors brevi
Suſtollam eo, quo erigere, ne obtutum quidem,
Livor malignus audeat. *Mar.* Qui in me flagrat
Infenſus ira, regio lateri aſſidet.

As. Impar nocendo est alteri, qui se nequit
Satis tueri. *Mar.* Sæpe confictum, invidus
Appingit, aliis crimen. *As.* At demum sua
Se luce prodit veritas. *Mar.* Sero tamen
Aliquando se se prodit. *As.* hunc lætum diem
Quid hisce curis, & gravi turbas metu?
I, fruere populi plausibus: præbe tui
Turri e propinqua mænibus, spectaculum:
Festiva populi carmina, & lætos sonos
Excipe serena fronte, Persarum ut solent
Reges. *Mar.* Libenter laude populari fruar,
In te quia redit: sic in artificem decus
Redundat operis (a) *As.* Inclyta, haud jacet diu,
Sine honore virtus.

SCENA IV.

Assuerus, Aman.

Aman Regi exponit triumphalem pompam, populi plausus, Urbisque ornatum, Procerumque obsequia. Deinde artificiose partim reticendo, partim excusando pravæ consuetudinis Mardochæum inter, & Esther suspicionem Regi iniicit.

Am. JUssa perfeci. Comas
Auro præcinctus, dextera sceptrum gerens
Populo frequentes Mardochæus per vias,
Equo insidens, & me duce incessit. Fores
Delubra, & arcus laurus ornabat sacra,
Variisque myrtus flexibus: circum undique
Tensa e fenestris stragula auro textili,
Phrygioque depicta opere pendebant. Queat
Æquare sed quis fando, festivos sonos,
Populique fremitus: Virginum circum chori,
Hymnos canentes, crotala quatiebant manu;
Brachiola tollens, Rex io, tenero puer
Clamabat ore: Milites vero procul
Plausus ciebant plebis, ærisonis tubis,
Emensus at postquam est vias, demum huc redux
Obsequia Procerum excepit. *As.* Ex animo magis
Gaudere, quisnam est visus? *Am.* Ego, lex est cui
Regia voluntas; fors tamen laudem hanc mihi
Præripuit Esther. *As.* Jussit illam nostri amor

Gau-

(a) *Discedit.*

Gaudere, nostro & Vindici plausum dare.
Am. Quin imo visa est te alloqui, & speciem tui
Amare in illo: hinc mutila verba, oculi stupor,
Suspiria, color multiplex vultus, genæ
Crebro madentes fletu, in aurem clanculum
Ingestus ore sermo, *As.* Verane censeam
Quæ loqueris? *Am.* An fingam aliquid, in quo me frequens
Statim revincat turba. Sed suspicio
Te nulla subeat: integram potius fidem
Innocuus error comprobat: nam sæpe amans
Sectatur umbras, quodque amat, distet licet,
Coram esse fingit. *As.* Unde tam arcti foederis
Hic nexus ortum duxit? *Am.* Ultra nil loquar:
Siluisse mallem. *As.* Rex jubet. *Am.* Regi obsequar.
Meminere fando plura, communes lares,
Veteremque amorem. *As.* An habuit hic etiam locum,
Innocuus error? (*a*) *Am.* Imputes tibimet, rogo,
Siqua tibi cura regium pectus fodit.
As. Adeone Sponsa est impudens, ut vel meos
Fere sub oculos, media in aula, se ream
Ostentet? *Am.* Oculis caret Amor: Paphius Puer
Dementat ante, quos suo victor jugo
Submittit. Alter attamen sepe alteram
Monebat, esset ut Viri memor, & sui.
At illa: regni velle jacturam pati,
Thalamique, posset dummodo antiquo, ut prius,
Parere domino. *As.* [Amore, & ira torqueor]
Ne plura.. At interim cave: a te, quæ audii
Nulli reveles, donec explorem, an fides
Sit habenda rebus, nuper auditis (*b*) *Am.* Prior
Sed ipse pœnas exigam. Prompta est manus,
Quæ impune fodiet æmuli pectus: domi
Latet hostis: inopinos dolos Roboam parat.
Hic veteris offensæ memor, pressam sinu
Fovebat iram: hinc facile fuit illuc eum
Urgere, quo pronus erat: auri copia
Effusa, pondus addidit verbis; neque
Puto id futurum ut improbet Rex: illum enim,
Cui dulce vitæ munus acceptum refert
Subiisse pœnam mortis, aliena manu,
Jussuque potius, quam suo, ut certum reor,
Gaudebit. Occultam dein capiet fugam
Roboam. Sed instat tempus: urgendum est opus.

 ACTUS

(a) *Ironice.*
(b) *Discedit.*

ACTUS V.

SCENA I.

Assuerus, Esther.

Assuerus vultu minaci excipit Esther, quæ paratam se offert ad quamlibet pœnam subeundam, solumque rogat ut indictam Judæorum cædem revocet, qua super re ab Assuero interrogata, suis responsionibus illius suspicionem confirmat. Demum illi acriter, & apertis verbis infidelitatem exprobranti, suum genus, & intimam cum Mardochæo cognationem aperit.

As. SPonsam vocari jussi! ut exsculpam illius
Ex ore verum, quod neget quamvis, satis
Reteget negatum crimen inopinus rubor.
Est vultus index sceleris occulti. *Es.*... (*a*) Tuæ
Funesta nubes asperans frontis decus
Timere cogit ... Nosco fatales minas,
Ominaque dira.. Siquod admisi nefas;
Commota se se effundat in nostrum caput
Regalis ira. Cui antea pretium dedit
Tuus amor, ultro regium sertum ad tuos
Pedes relinquam ... Quod rogo supplex, id est:
Suspende nostræ Gentis excidium. Tua
Jussa hæc facessit, nec tibi obstrictam fidem
Violavit unquam contumax. Quo te altius
Sors tulit, eo magis decet miseris opem
Afferre. Celsa, majus in se nil habet
Conditio Regum. *As.* His precibus Aman obsecra.
Es. Molitor ille fraudis, & scelerum artifex,
Furentis instar sanguinem innocuum sitit,
Unde timet, ultor ne novus surgat, vigil
Qui retegat occultum ambitum, & cæcos dolos.
As. Quis tibi suasit, sordidum, & vile hoc genus
Hominum tueri? An Mardochæus? *Es.* Ita est. *As.* [Scio
Quod scire nollem] *Es.* Movit at Patriæ magis,
Meæque Gentis dulcis amor. Ipsas tigres
Natura sociat, & suum hircanum nemus
amare cogit. *As.* [Acrior suspicio

Su-

(a) *Hæret attonita ad aspectum Regis iracundi ac minacis.*

Subit animum] *Es.* ... Accido ad pedes : Vota excipe ,
Precesque placidus : barbaram cædem impedi ,
Qua tibi tyranni nomen adscifcis , loquax
Quam non filebit Fama . Te per ego tuos
Obteftor auguftos Avos , in me tui
Per quidquid eft amoris . Alterius torus
Sic te parentem reddat (hoc quoniam fui
Indigna honore) fic tuum decoret latus
Numerofa foboles , laude quæ vincens Patrem
Regnet ab eois , ufque ad occiduas plagas .
As. [Mens nutat anceps] Surge : votis annuo ;
Hac lege tamen , ut Mardochæus concidat ,
Populique cladem redimat illius cruor .
Es. Quid hoc ! quid inquis ? Itane votis annuis ?
Hæccine tua pietas ? *As.* [Nimis certum eft : Amat]
Es. Saltem rogare fas fit , æquum eft , quod rogo ,
Meo ut cruori parcere haud velis : duplex
Tibi cadat enfe victima *As.* [Hæc tacitus feram ?]
Infida me coram tuum jactas probrum ,
Meumque ? Vel quos effe non pudet reos ,
Pudet videri : fceleris ingenitus rubor
Eft primus ultor . Itane , quos cuique indidit
Natura fenfus , exuis ? *Es.* Quidnam exprobras ?
Quod nempe Patruum diligam , id vitio datur ?
Ille mihi eodem fanguine eft junctus , magis
Sed eft amore . Ætate me prima , fuis
Excepit ulnis : nanque deferuit meas
Cunas uterque morte præreptus parens :
Utriufque munus geffit , & follers meos
Virtute teneros imbuit mores , quibus
Stirps noftra quondam claruit me Heroidum
Præclara facta docuit ; hæc quippe altius
Menti infident . Et o , mihi , o quoties , Deo
Afflatus , inquit : magna tibi fors imminet :
Affuefce regno , generis antiqui decus ,
Morefque avitos indue . At nunc quod gradum
Referre cogar , unde difceffi , haud piget .
Quod cruciat animum eft crimen affictum , & licet
Falfum effe pateat , me tamen graviter pudet ,
Potuiffe fingi . *As.* Parce jam fruftra queri :
Erraffe fateor . Sed tuum per te genus
Noviffe cur non licuit ? *Es.* Expavi dolos
Furentis Aman . *As.* Tefte quonam te probas
E Mardochæi ftirpe progenitam . *Es.* Fidem
Ægeus ipfe faciet : hic noftræ intimus

Fuit familiæ : faciet Isacidum frequens,
Hic, quæ moratur turba.

SCENA II.

Assuerus, Esther, Aman.

Aman falso putans, Roboam hora condicta Mardochæum occidisse, territus, & vultu ad mœstitiam composito, occisionis nuntium affert. Ab Esther vero suspicante, id quod erat, obiurgatus culpam omnem in Roboam reijcit.

Am. PRoh dirum scelus!
Crudelis o fati tenor! Nimius dolor
Præcludit ora. *As.* Loquere ... Cur anceps siles?
Lætas eodem vultu, & adversas vices
Perferre didici. *Am.* Vulnere inflicto lacer,
Suoque mersus sanguine, extinctus jacet,
Qui nuper ostro indutus ... horrore at rigens,
Proferre nomen lingua refugit. *Es.* Sat mihi
Silendo retegis .. heu dolor! *As.* Sæva o nimis,
O sæva clades, quam fleat nunquam satis
Vel tota quamvis Persis in luctus eat.
Es. Quis cædis auctor? Sed rogo frustra. Reus
Cædis peractæ est osor extincti : hunc simul
Odistis ambo. Qui tibi mentem abstulit (*a*)
Malesanus error? aut quæ Erinnys, me fidem
Violasse fingens, movit admota face,
Furoris æstus? *As.* Falleris, Regi imputans
Facinus dolosum. Nectere occultos dolos
Solent timentes sceleris ultricem manum.
Quam nuper error movit innocuus, statim
Resedit ira. *Es.* Parce; siqua vox minus
Cauta excidit dolenti (*b*). Inique proditor,
Intrepidus astas? crimen occlusum intimo
Cordis recessu agnosco : nam regni tumens
Ambitio, livorque Patruum adversus furens,
Nostræque Gentis odia te clare arguunt
Sceleris patrati. Cur iners cessas? opus
Urge : per ista cœpta, per Patrui necem
Me pete : mihi idem sanguis in venis fluit :

Ex-

(a) *Assuerum alloquitur.*
(b) *Vertit sermonem ad Aman.*

Extingue plenius sitim : *As.* Ulciscar brevi (*a*).
Absterge lacrymas : non diu circumvaga
Errabit umbra Patrui, ultorem petens.
Cur flere pergis? sterile solamen mali est,
Et inane luctus *Am.* Si loqui fas sit, levis
Mihi labor erit eluere probrosam hanc notam.
Non ego, nec ullus persa; sed Roboam suum,
Mucrone stricto fodit inopinantem Herum.
Es. Qui compulit jussu manum, hic sceleris fuit,
Hic primus auctor. *Am.* Ipse cur celerem huc statim
Gradum tulissem, conscius mihi si forem
Immanis ausi. *Es.* Ut scilicet tegeres tuum,
Dum sponte crimen retegis alienum *Am.* Loqui
Tormenta cogent Roboam. *As.* Hic arripuit fugam;
Ut puto. Sed agite, vos cito rapidis equis (*b*)
Intercipite fugam hanc, regressumque illico
Coniicite in arctum carcerem. *Es.* Auctorem nihil
Novisse prodest, vulneri nostro nec id
Feret levamen. Tu potius Abræ sinu (*c*)
Qui degis, humanæ & vides quanta latent
Sub nube mentes, junge me comitem tibi,
Tuta piorum in sede.

SCENA II.

Assuerus, Esther, Aman, Roboam.

Roboam, post haustum venenum, coram Rege se sistit; Mardochæi occisionem se intentasse fatetur, eamque ingenito quodam horrore correptum, exequi non potuisse: impiam Aman machinationem detegit. Demum sensibus destitutus excubiis innixus discedit.

Rob. Vobis improbum
En proditorem sisto: me contra faces,
Rotas, equuleos congerite: nil hæc moror:
Graviora merui supplicia. *Es.* Tellus te adhuc
Immane monstrum sustinet? *As.* Te hinc abripe:
Inveniet ultrix ira cruciatus novos.
Rob. Sæva magis animum cruciat, uritque intima
Imago sceleris. *Am.* Non dum abis? Huc Milites.
Abi-

(a) *Sponsam alloquitur.*
(b) *Imperat excubiis.*
(c) *Apostrophe ad Mardochæum quem extinctum putat.*

Rob. Abite : vestras citius implebit vices (*a*)
Rigido venenum corda perstringens gelu,
Statim quod hausi conscium indignans diem
Scelerisque testem. *Am.* Loquitur hæc, ut quam meret,
Pœnam retardet. *Rob* Quæ loquar, magni interest
Vos scire. Primum hoc: Mardochæum quem neci
Ut traderem, dextram impuli, incolumem Deus
Subtraxit ensi. *Es.* Gaudium hoc totum simul
Ferre nequit impar pectus. *As.* O sors, o mihi
Nunquam secundior! *Am.* [Locus superest spei
Vix ullus] *As.* Expone seriem facti. *Rob.* Dolis
Precibus & Aman motus, auri & copia
Cædem spopondi, jamque, quam condixeram
Instabat hora. Ter citus gressum intuli,
Ter retuli inops consilii. At, heu dirum nefas!
Demum, furentis instar aggredior domus
Stantem recessu in intimo: dextram extuli;
At trepida corda en subitus invasit pavor:
Caligo perstrinxit oculos: Steterunt comæ
Horrore: gelidus ossa concussit tremor.
Ad genua procidi. Ille, magnanimum o Virum!
O specimen altæ mentis! amplexu dato,
Surge, inquit, admissum ob scelus frustra times:
Servare posthac disce, cui debes fidem.
Ad hæc, repente nube discussa, mihi
Quæ mentis usum rapuit; horribilem sui,
Nudamque speciem crimen exhibuit: pudor
Suffudit ora, satius & duxi diem
Supremum obire, ferre quam morsus, quibus
Se cruciat animus. Usque adhuc sed gaudeo
Traxisse vitam: quippe per cæcas vias,
Latebrasque pervasi huc, ubi licuit statim
Vestro levamen luctui afferre.. At loqui
Me plura prohibet imminens vitæ exitus:
Vox hæret ægra faucibus.. Cor occupat,
Hebetatque languor.. Sceleris admissi dolens,
Exposco veniam. Tuque Rex impense ama
Virtute præstantem Virum... Sed jam labat
Pes.. nutat incertus dies. *As.* Trahite hinc procul (*b*).
Am. Afferre quamvis cædis objectæ, queam
Causas honestas: esse nec me, quem efferat
Ambitio demens, sit palam omnibus; tuam
Malo tamen iram flectere effusa prece,

La-

(a) *Ad excubias.*
(b) *Accurrunt excubiæ, eumque foras ducunt.*

Lacrymisque. *Af.* Id etiam proditor tentas? abi hinc.
Quam Mardochæo ſtruxerat, celſa in cruce
Fixus, pudenda morte ſupplicium ferat (a)
Devius honeſti e ſemita, per pronum iter
Labente greſſu, ſemper in pejus ruit.

SCENA IV.

Aſſuerus, Eſther, Mardochæus, Accarus, Ægeus.

Mardochæus ſoſpes aulam ſubit, non ſine ingenti lætitia ab Aſſuero, & Eſther excipitur. In eodem dignitatis gradu, in quo erat Aman eum Aſſuerus conſtituit, & ad ſolenne convivium ſecum, una cum Eſther celebrandum invitat.

Mar. Quod huc revertar, munere iccirco mihi
Datum eſſe Cælitum puto, ut meritam vicem
Rex tibi rependam. Sed id ut obtineam, tuo
Juſſu ad labores lata mihi pateat via.
Me ſive reprimere hoſtium incurſus jubes:
Proferre ſive regnum ad extremas plagas,
Parebo juſſis. *Af.* Ægre at Eſther perferet
Tam procul abeſſe, & Martis ancipitem aleam
Subire toties, jure quem veluti patrem
Amat, colitque (b). *Ef.* Quid ſtupes? jam me tibi
Novit propinquam ſanguine. *Mar.* Ut melius tamen
Id noſcat, animi robore, & factis proba.
Tunc fruere, in Urbe cum audies Populum meas
Celebrare palmas, cumque ab hoſtili madens
Regrediar huc cruore, in amplexus rue.
Quod ſi petitus vulnere occumbam, cave
Ne fletus unquam, nomine inſcriptam meo
Dedecoret urnam. *Af.* Coget exemplum Viri
Lugere Sponſam. Sed procul Dii arceant
Fatale, dirumque omen. Hic fidum volo
Utriuſque comitem te eſſe; quin munus patris
Te gerere in ambos. Regni habenas nunc tuæ
Committo fidei. Sæva quas regno notas
Inuſſit Aman ambitio, tua deleat
Perſpecta virtus. *Mar.* Splendido huic oneri pares
Non ſuppetunt vires: deeſt nec Perſidi
Qui ponderi pares habeat. At ſi jubes ....

Ju-

(a) *Diſcedit circumſeptus militibus.*
(b) *Adhæc audita Mardochæus hæret mirabundus.*

Aſ. Jubeo. Satis comperta nobis eſt tuæ
Vis prompta, & alacer mentis, ingenium ſagax;
Egregia virtus, quæque paucorum eſt, fides.
Aggredere munus hoc novum: per te aurea
Recurrat ætas, qualis Ægypto fuit,
Cum fræna regeret alius, Iſacidum ſatus (*a*)
De gente, tibique ſimilis, ipſe etiam prius
Famulus, & exul, poſtmodum regni arbiter.
Mar. Præclara ad opera incendar exemplis tuis,
Rebuſque geſtis: te ducem longe ſequar.
Æg. Agitante dextra ut tæda ſplendidius nitet;
Tua ſic ab adverſis, magis lucem exerit
Concuſſa virtus. *Ac.* In tuum recidit decus
Aman vafrities. Gratulor Regi, ac tibi,
Totique regno. *Eſ.* Dona tot cumules licet
In me, meoſque; nunquam ero tuis ſatis
Devincta donis, quandiu Iſacidæ jugo
Graviore, quam par fuerit, oppreſſi gement;
Niſi te movere valeat illorum frequens
Gemitus, meaſque audire ſi renuis preces,
Te merita moveant Patrui, & conſtans fides.
Aſ. Tu ſtatue, ut Eſther optat, ærumnis modum (*b*);
Rebuſque in arctis affer afflictis opem.
Sed ante, lætus menſæ ut aſſideas volo
Conviva mecum: nec tibi Eſther id fore
Ingratum opinor. *Eſ.* Tam mihi eſt gratum, ut nihil
Supra. *Mor.* Referre cum parem nequeam vicem.
Servabo memori corde, quem tribuis mihi
Immerito, honorem. *Aſ.* Perſis addiſcat dolos
Prodeſſe nemini, & licet virtus queat
Ut ſol ab umbris obtegi, tandem ſuum,
Tenebris repulſis, pandere intactum jubar.



ADONIAS

(a) *Geneſ. c. 41. 39. & infra.*
(b) *Dirigit ſermonem ad Mardochæum.*

ADONIAS

TRAGOEDIA VI.

ARGUMENTUM.

ADONIAS, Davidis filius natu major, solemniter victimis immolatis, regalique celebrato convivio, festivas inter factiosorum hominum acclamationes, sibi Regis nomen ambitiose usurpaverat. Ambitioni illius Joabus supremus militum ductor, & Abiathar Sacerdos, aliique principes viri obsecundabant. Hujus rei a Bethsabee, & Nathan Propheta, certior factus, & utriusque insinuatione, id quod jam decreverat, in memoriam revocans David, qui tunc temporis erat summa senectute, morboque confectus; Salomonem, quem ex Bethsabee susceperat, suique regni hæredem, quantumvis natu minorem, designaverat, nulla interjecta mora, sacro oleo Regem inaugurari jussit. Facti novitate territus Adonias, primum ad altare confugit: deinde fratris sui humanitate illectus, ad illius genua accidit, veniamque obtinuit. Qua de causa confidentior factus, mortuo jam Davide, Abisag Sunamitidis conjugium, ad id impetrandum Bethsabee auctoritate, & precibus interpositis, a fratre petiit. Sed audita vix petitione, frater ira exarsit, atque Adoniam morte puniri jussit. Regum lib.3. cap.1., & 2. *Cur vero Salomon mortem illius inopinato jusserit, quærunt sacrarum Literarum interpretes. Communior opinio ea est, quam iisdem fere Tirini verbis expono.* Cum Adonias primogenitus esset Filiorum Regis, & toti populo apprime carus, a quo Rex non ita pridem fuerat electus: si ad hæc accessissent nuptiæ Sunamitidis nuper Reginæ, & populo propter formæ venustatem, honestosque mores admodum gratæ; procul dubio ad regnum obtinendum illi prompta, facilisque patuisset via. Et hoc fuit callidum Joabi, de se, suisque rebus alioqui desperantis, & Abjatharis, aliorumque Adoniæ faventium consilium. *His omnibus per poeticam licentiam varias peripetias, agnitionesque, ex ipsius facti historici visceribus natas, sacroque textui minime adversarias, ad Tragœdiæ ornatum addimus*

PER-

PERSONÆ.

SALOMON *Rex, Davidis filius ex Bersaba.*

ADONIAS *Davidis filius ex alia Conjuge.*

BERSABA *Mater Salomonis.*

ABISAG *Sunamitis.*

NATHAN *Propheta.*

JONATHAS *Centurio, occultæ in Salomonem conjurationis particeps.*

ROBOAM *Præfectus regiæ Cohortis.*

Scena in Aula Regia Salomonis.

ACTUS I.

SCENA I.

Salomon, Nathan.

Salomonem gaudentem ob Adoniæ exercitum profligatum Nathan Propheta divino oestro percitus, & a sensu alienatus, rerum multo post futurarum, & imminentium fraudum præmonet.

Sal. AX alma rediit. Videram dudum viris,
Armisque foeta montis adversi in jugo
Fraterna castra: nunc ubi hæc fuerint, licet
Vix nosse. *Nat.* Aperto Marte superatus jacet
Furibundus Hostis. Sed cave occultos dolos.
Sal. Fatidice Vates, reserat æthereum jubar
Cui res futuras, quos dolos caveam, doce.
Nat. Nescire præstat: id petit regni salus.
Sed antequam sol tangat occiduum mare;
Eventus ipse commodam causam afferet
Fraudes cavendi. Quod tuum est, centum interim
Sine labe pingues victimas cædi jube:
Cui sceptra debes, publicas grates Deo
Persolve. Nullum, regna præsidium tegit
Pietate majus. Quæ dedit Genitor dein
Exequere jussa. Abneri, Amasæque intulit (*a*)
Qui fraude mortem Joab, admissum scelus
Luat cruore: haud imparem a Semei impio (*b*)
Pœnam reposce, qui petiit olim probris
Davidem, & audax sacrilega jecit manu
Lapides in illum. Quod tamen primo interest
Imitare mores: relege Davidis vias.
Non ille falsos impie coluit Deos:
Baal nec aras Numini eripuit, Parens
Dum sceptra tenuit, quæque finitimæ colunt
Simulacra Gentes, arcuit a regno magis
Quam bella, & hostes. Tempus at veniet brevi

Quo

(a) *Lib.2. Reg. c.20. v. ibid. c.3. 27.*
(b) *Ibid. c.16. 6.*

Quo Solyma fictis thura libabit Diis :
Sacrilega thura ; hinc tonsa laurigeras comas
Captiva subdet colla peregrino jugo ,
Diuque flebit ... Sed ubi sum ? quonam feror ? (a)
Aut unde ? *Sal.* Subitus concutit pectus furor ,
Agitatque Numen . *Nat.* .. *Virgines celeri fuga*
Petite Sionis verticem , & sacras specus .
Assyrius instar Raptor ... Audax jam trahit
Opima spolia victor , & galeas videns ,
Fractosque clypeos , cæde ferali stupet ,
Quæque dedit ipse vulnera , attonito diu
Metitur oculo ... Appensa idumæas gravat
Palmas supellex bellica : undasque amovens
Jordanis , ira tumidus humorem negat
Silvis cruentis ... heu pudor ! *Sal.* ... Coram videt
Futura damna . Sed suas clades fleant
Seri Nepotes . *Nat. Causa ne fueris cave :*
Nam scelera avorum misera progenies luet .
Sal. Obstupeo : mecum quæ loquor , sensu carens ,
Sibique raptus audit . At quod nunc malum
Mihi pectus urit , Fratris irati est fuga .
Quid volvit animo ? Sortis incertus suæ
Quo pergit ille ? *Nat. Perstat hic : pacem rogat . .*
Sal. Veneror loquentis dicta ; sed nondum petit
Pacem ille : quin certum ut puto , Solymis abest
Nat. Abesset utinam ! morte nanque illum jubet
Deus ipse plecti ; pace si postquam tuo
Fuerit potitus munere ; innocuæ petat
Thalamos Abisag. *Sal.* Crimen ecquisnam putet
Conjugia petere ? *Nat. His nuptiis rursus viam*
Ad regna Frater : ac sibi effugium parat
Illum secuta contumax Procerum cohors .
Scrutari at hominum nemo divinæ audeat
Con lia mentis . Sequere , quæ vultu minax
Densasque nubes inter , & crebras faces
Dat jussa Numen , ut dedit Sinæ in jugo (b)
Iterata Mo i jura . Ni facias , ruet
In te malorum turbo , regnumque obruet .
Sal. Monebo saltem , ne petat vetitum torum .
Nat. Graviora metue jacula , si Fratrem mones .
Arcanus ordo id postulat rerum , Arbiter
Quem mente volvit summus , incertas vices

(a) *Loquitur hæc divino ardore incitatus , & a sensu mentis abstractus .*

(b) *Exod. cap.* 24. 16. & *c.* 34. 12.

Ratione certa dirigens . . Proh quæ patet
Longo in receſſu , purior ubi æther nitet ,
Quave arte nexa eventuum ſeries ! *Sal.* Vacans
Jam totus aſtris ſpiritus , ſervet Deo .
Te veneror hominum , qui regis trepidos gradus ,
Cæcaſque mentes . Quod jubes , prompte exequar
Obſtringo ſtabilem jurejurando fidem .

Nat. Inopina nubes claudit æthereas fores :
Meque vocat aliò miſſus e cælo ſonus (*a*) .

SCENA II.

Salomon , Berſaba .

Ad obtinendam Adoniæ veniam , Berſaba preces interponit , eamque a Salomone filio ſuo impetrat .

Ber. HUC venio ſupplex . *Sal.* Supplicem Matrem haud
Regale frontis quæ decus mihi,quæ dedit (feram,
Aliis jubendi munus . Ergo age , impera .

Ber. Quamvis in auras non meo egreſſus ſinu ,
Tamen ore Adonias meo pacem rogat ,
Utque arma ponas , & odium , cauſæ immemor ,
Illumque amanter lætus excipias . *Sal.* Nihil
Rogare poterat gratius : poſcit , mea
Quod vota poſcunt , dantis & meritum impedit
Cupido dandi . Redeat : amplexus paro .
Ubinam moratur ? *Ber.* Non abeſt regno procul ,
Nec procul ab aula . *Sal.* Properet huc celerem gradum ;
Fratriſque properet gaudia . *Ber.* Hic velox ſtatim
Aderit . Et utinam ſtabilis , ut par eſt , amor
Vos jungat ambos ! nulla vis utinam nova
Diſſolvat unquam fœdera ! *Sal.* Id cupio : at pavor ,
Ignotus animum diſtrahit , ſpemque impedit ,
Trepidoque pectus concutit motu . *Ber.* Times
Itane quod optas ? *Sal.* Alter alterius comes ,
Amor , timorque ſuppari incedunt gradu .

Ber. Compeſcet æſtus pectoris præſens bonum ,
Quos movit abſens . Pergo : veloci ut feram
Greſſu cupitum nuntium : tuque interim
Occurre blandus ; fratris & vultum indue
Depone Regis . Sæpe blanditiis ſibi
Subigit vel hoſtes comitas : fortes viros ,
Quos arma nequeunt , officia vincunt (*a*) *Sal.* Adeſt ,

Ro-

(a) *Diſcedit .*

Rogatque ... Vati debita o nimium fides !
Fatale monitum corda truculenter fodit,
Et quæ recursat cura, tam faustum diem
Funestat atra nube. Quod remanet tamen
Spei, est Adoniam inter has dubias vices
Adiisse primo Bersabam : fuerat magis
Adeunda Abisag.; corde si veteres adhuc
Foveret ignes.

SCENA III.


Salomon, Abisag.

Nunciat Abisag reditum Adoniæ, sermonesque cum ipsa ab Adonia habitos, ex quibus Salomon accipit novam timendi occasionem.

Abis. SUbita cur vultum inficit
Palloris umbra! Fausta nuncio : quod diu,
Ardenter optas, jam tenes. Frater redux
Subjicere inermem tibi parat frontem : aurea
Pax rediit : illam qui abstulit, tandem refert;
Suique victor, siquod admisit scelus,
Virtute delet. *Sal.* Scita narras : at libet
Audire rursum. An cernere? an reducem alloqui
Datum est? *Abis.* Utrumque licuit. *Sal* [En iterum
Agitatque terror corda] *Abis.* Vix subiit fores, (premit,
Notumque limen Bersabæ, celerem statim,
Qui me moneret, nuntium misit. Gradum
Festina movi : at hisce me dictis prior
Excepit ille. Naufragum ante oculos habes,
Furentis æstus quem maris cogit, manu
Prensare scopulos, unde naufragium tulit.
Adire Fratrem cogor, illique oscula
Libare dextræ, qua rui : nostros tua
Gressus labantes fulciat pietas : opem
Hæc ferat, amicam præferens nobis facem.
Aggredere Fratrem precibus, & veniam rogans
Compone fluctus cordis irati. Solet
Nam victor audax, prosperis rebus tumens
Despicere victos. Flexeris postquam, trahunt
Quo fata, pergam : pedibus advolvar carens
Metu repulsæ. *Sal.* Sanguine ex uno genus
Utriusque ductum, David amborum parens
Fratrem tuentur. *Abis.* Vel ubi nil instat mali,

Quod

Quod sit timendum, conscius culpæ timet.
Utque oculus æger, quas videt res, stent licet
Fluitare falso existimat; sic mens suo
Agitata scelere, fluctuansque, sibi omnia
Metuenda censet. *Sal.* Bersabæ effusæ preces
Satis esse poterant. *Abis.* Esse nil tutum potest
Omnia timenti ... Vix ego optatam libens
Opem spopondi; lumine immoto intuens
Spondentis ora, & pectore ex imo trahens
Lentus frequenti anhelitu voces, ait:
Utinam cupitis, postmodum hac liceat via
Thalamis potiri! melius id multo foret,
Quam premere gemmis dives, atque auro nitens
Regale solium. Vota verum hæc non decent
Jactatum iniqua sorte. Quod victo sat est,
Veniam rogemus. *Sal.* Cujus optabat torum,
Sacrosque nexus? *Abis.* Ut puto, meos: nam pudens,
Quod ore tacuit, blandus obtutu satis
Mihi indicavit. *Sal.* Flexit his dictis tuos
An ille sensus? *Abis.* Ima trepido sub pede
Tellus dehiscat: Numen aut jaculis petat
Caput hoc trisulcis, antequam violem fidem,
Carosque cineres deseram. Immotum sedet
Animo, priora sæva mors postquam, heu dolor!
Conjugia solvit, refugere, ut potero, novas
Tædas jugales. Lapide funereo tege (*a*),
Veteresque flammas tecum habe, o vita magis
Dilecte David, cælibis consors tori.
Socialis urna, vincula hæc solum peto,
Nos junget iterum. *Sal.* Fata testantur Viri,
Quam labis expers fuerit uxoris fides.
Ne plura: celeri Frater huc tendit gradu.
Recede, mentemque hanc diu serva. *Abis.* Haud eget
Stimulis meus amor (*b*). *Sal.* O potens dextra, ut libet
Mutare Regum corda, prohibe, ne petat
Thalamos cruentos Frater.



SCE-

(a) *Apostrophe ad Davidem extinctum.*
(a) *Discedit.*

SCENA IV.

Salomou, Adonias.

Veniam petit Adonias: post mutua vero officia, cum pluries inducere conetur sermonem de nuptiis cum Abisag, ejus verba artificiose Salomon intercipit, demum apertam ejus petitionem vix inchoatam, discessu abrumpit.

Ad. HOrrerem minus
Victoris iram, & odia, quam veniam; nisi
De me triumphum qui tulit, frater foret.
Quocumque pretio redimere at fratris libet
Primævum amorem. Genibus advolvor tuis.
Hæc regia insignia cape: hæc sponte exui
Meliore ut ornent sorte fraternas comas,
Dextramque (*a*). *Sal.* Surge: pedibus e nostris manus
Remove, meosque potius amplexus pete (*b*).
Has inter ulnas, sine metu, lætos dies
Transigere poteris: pondus imperii meis
Incumbat humeris: quidquid ex illo boni est,
In te redundet. *Ad.* Nunc pudet magis: tua hæc
Pietas pudorem cumulat. Insanus furor
In arma movit. Sera posteritas scelus
Ignoret utinam, deleatque oblivio
Immane facinus! *Sal.* Reparat amissum decus,
Lapsosque mores, cordis ingenuus dolor.
Quidquod juventam raptat incautam flagrans
Juvenilis ardor? minuit hinc culpæ notam
Minor eligentis optio. *Ad.* Mentem abstulit
Vesanus error. Hauserim quod te prior
Vitale lumen, quodque cum, curru aureo
Mediam per urbem veherer, & denso latus
Utrumque cinctus milite, obsequia undique
Populi cierem, tacitus annuerit Parens;
Justam esse causam sum ratus, cur te meis
Aggrederer armis. *Sal.* Quisque quæ demens cupit
Licere facile credit. Insana eligit
Libido casus exteros Reges: Dei
Vox certa nostros. Ut gravis senio Parens
Tacuerit, atræ mortis aut gelidus stupor

Pto-

(a) *Coronam, & sceptrum, que manibus gestat ad Fratris sui pedes flexo genu deponit.*

(b) *Se mutuo amplectuntur.*

Prope imminentis, cautus aut nimium timor
Effecit. Annon ipſe mihi ſacra caput
Olea liniri juſſit? æthereis notis
Regis futuri nomen impreſſum ſuis
Nonne hauſit oculis, cecinit atque olim lyra?
Certa hæc; ſilere quæ tamen ſatius puto,
Ne rurſus iras excitet, ſi vox minus
Prudens loquentem fallat. Agedum quod fuit
Peccatum utrinque deleat, quam do, & peto,
Venia viciſſim. Pignus en rurſus cape (*a*)
Fraterni amoris, redde rurſus: non meis
Te ſors lacertis ulla, non unquam tuis
Me rapiet. *Ad.* At ſit fœdus ut noſtrum magis [me amor
Firmum, ratumque, poſco. *Sal.* Quidnam? *Ad.* Quod
Cogit rogare. *Sal.* [Numen o! nunc promptam opem
Nunc affer] *Ad.* Ora ſubitus ecquis nam timor
Pallere cogit? continent noſtræ preces
Nihil timendum. Audi ergo. *Sal.* Jam ſatis audii (*b*)
Ut tua ſecutis caſtra dem veniam rogas:
Officia laudo. Noſtra quos miſeros facit
Ambitio, turpe eſt deſerere: culpam lubens
Condono. *Ad.* Grates ſolvo: ſed non id rogo.
Sal. Cuperem ut Joab poſſet hac venia frui;
Genitoris umbra ſed vetat: mihi nam frequens
Aſtat, & Amaſæ cedem, & Abneris monet
Ut cito ſevere puniam. *Ad.* Neque id rogo.
Verùm Sionis columen, invictum Ducem,
Qui caſtra fudit hoſtium, quoties ruit
In arma belli ductor, & prope jam ſenex
Annos triumphis æquat, extinctum voles?
Sal. Id velle cogor. *Ad.* At aliud prorſus rogo.
Viduata Abiſag Conjuge indecores trahit
Annos juventæ. *Sal.* Dedecus quiſnam putet
Servare thalami jura? *Ad.* Cui ſervat fidem,
Poſtquam Vir obiit? *Sal.* Cineribus ſervat Viri.
Ad. Mors vincla ſolvit. *Sal.* Arduum calcans iter
Severa virtus, plura, quæ lex non vetat,
Vetat ipſa ſibi. *Ad.* Virtutis a ſummo gradu
Vidua recedit, quæ torum petit alterum,
Non quam Vir alter eligit ſociam tori.
Sal. Egone fidelis Sponſæ ab amplexu velim
Parentis urnam evellere, ac tumulum prope
Hymen jugales me auſpice attollet faces?

(a) *Se rurſus mutuo amplectuntur.*
(b) *Artificioſe divertit ſermonem.*

Ad. Non hæc ſepultos cura ſollicitat viros.
Adhuc tepebant Uriæ cineres; furens
Effræni amore cum tori elegit Parens,
Regnique ſociam Berſabam. *Sal.* Uno ergo ordine
Davidem habes, & Uriam? Per te nihil
A Rege diſtat ſervus? *Ad.* At quid ſi petat
Rex alius hæc connubia? *Sal.* Incaſſum petet:
Vel mihi negavi. Silicis alpinæ haud rigor
Mihi pectus ambit, corda nec torpent gelu.
Auguſta ſpecies oris inflexit meos,
Traxitque ſenſus; firma ſed blandos dolos,
Tenaxque recti mens repulit. Alios regens
Honeſta, quæ voce imperat, factis probet:
Rectique norma ſit jubens: populos magis
Exempla quam leges movent. *Ad.* Quid ſi petens
Sit tibi propinquus ſanguine? [Audendum eſt, timor
Recede] Patere, rurſus ut ſupplex manus
Ad genua tendam. *Sal.* (a) Comprime has voces [Dei
Menti recurſant monita (b)] *Ad.* Sic aurem negas
Præbere miſero? *Sal.* Ne audiam, pietas vetat (c)

SCENA V.

Adonias.

In furorem raptus, ob ſuam petitionem a Salomone rejectam, eum doloſe aggredi ſtatuit.

O ſæva pietas! Fratris o mendax fides!
Nemo procul arcet ſupplices: rerum indigos
Rogare prohibet nemo. Niſi ſit, qui roget;
Elata eburnis gradibus, ac tyrio licet
Splendeſcat oſtro, dignitas Regum jacet...
Hæccine rependit Frater obſequiis? vicem
Hanc noſtro amori reddit? Inſtaurent ſua
Nunc odia vires: ira rurſus ferveat,
Quæ jam tepuerat. Sorte pugnabit dolus
Meliore forſan; nec pudet fraudem pari
Superare fraude. Æqualibus ſe quilibet
Armis tuendi jus habet: redimam mea
Sic jura. Regni fræna moderari meum eſt.
Mihi dedit ante, luce vitali frui
Natura, cujus nemini leges licet

Vio-

(a) *Imperioſe hæc profert, eique terga vertit.*
(b) *Hæc ſecum ipſe loquitur dum diſcedit.*
(c) *Ingreſſurus poſtſcenium faciem vertens hæc profert.*

Violare : Naturam sequar : Per vim mihi
Jugata Abisag sternet ad solium viam .

ACTUS II.

SCENA I.

Adonias, Jonathas .

Jonathas certiorem reddit Adoniam de rebus, quas Joab animo versat, eumque hortatur, ne a petendis Abisag nuptiis desistat. Colloquentes in scenam prodeunt.

Jon. Joab timore pulsus occultos colit
Nemorum recessus : invias quærit specus,
Cæcasque latebras, quò prius gladio impulit
Hostes subactos : figat ubi tuto pedes
Regione in ampla vix habet, toties suo
Quam victor ense eripuit hostili jugo .
Ad. Hic tot laborum fructus ! hæc merces ! *Jon.* Solent
Timere Reges stren-uos bello Duces,
Per quos timentur ; Martis hinc postquam furor
Resedit, & pax stabilis armorum metum
Removit omnem, hac laude præstantes viros,
Partaque tumidos pace, populique arbitros
Removere curant . *Ad.* Sæpe magnanimos Duces
Sub specie honesti fallit ambitio . *Jon.* Nihil
Sed tibi timendum est . Profugus Joab tua
Signa est secutus . Adde supremis Parens
Tabulis quod illum jussit ad mortem rapi ;
Tuam hinc, suamque, ut poscit amborum salus,
Causam tuetur . *Ad.* Esto ; sed quidnam queam
Sperare ab illo ? *Jon.* Quod cupis, regnum . *Ad.* Ast ubi
Sunt arma ? & ubinam milites . *Jon.* Paucos habet,
Si censeas : at si æstimes ; plures, furor
Quos agitat idem, jungit obstricta & fides .
Hostis ubi primum pateat insidiis, ruens
Extemplo ab antris, plura quæ Solymæ adiacent,
Templum subibit impete effuso phalanx,
Fratremque sternet æmulum . *Ad.* Nobis sed hic (a)
Nuper pepercit : nuper amplexus dedit,
Opibusque patriis blandus indulsit frui,
Luxuque regiæ domus ... Rapuit sed hic

(a) *Contrariis animi motibus jactatur.*

Mihi sceptra, thalamosque negat; auratis sed hic
Laqueis me in aula retinet, ut si sors mihi
Popularis aura rursus aspiret; suum
Redimat periclum cæde fraterna. *Jon.* Tua
Ita mens hebescit, ut tegi veterem haud putes
Ignem doloso cinere. Rex læsus semel,
Vix parcit unquam. Nonne adhuc fervent tui
Patris in Joab odia, quæ ne mors quidem
Satis repressit. Una tibi superest salus,
Regnare. Tacitos præveni Fratris dolos:
Ars vincat artem: cogeris. Scelus an times?
Cogentis est. *Ad.* Ne plura: quo revocas, sua
Regreditur animus sponte: degener hinc procul
Recede pietas. Hæserim nuper, brevi
Tempore quod anceps, nunc pudet. Nisi res cadat
Ut opto, magnis excidam ausis: obruent
Nec fata inertem. *Jon.* Tu interim insiste impiger,
Thalamosque Abisag denuo supplex roga,
Et perge durum Regis iterata prece
Urgere pectus. Si annuat; mirum est, tuum
Conferre quantum valeat ad regnum, tibi
Jugata Abisag. Populus hanc, Proceresque amant:
Hæc flectit, ut vult corda: nam quem non rapit
Flexanima species oris, addit cui jubar
Æthereus animi candor, & raro comes
Decòris, intactus pudor. Quod si preces
Audire renuat; nemo erit, causam tuam
Qui non peroret: quisque te Regem volet,
Ut illa regnet: quam tamen blandis stude
Mulcere dictis. Quid suas, tumulum prope,
Gelidosque cineres, lacrymis flammas alit?
Quid frustra in urna quærit exanimem Virum?
In te superstes vivit: annosi Senis
Flavescere in te gaudeat rursus comas,
Vernare rursus vividum frontis decus,
Celeremque rursum sanguinem motu igneo
Agitare venas. Adde, quæ plura eloqui
Sciunt amantes. *Ad.* Sed rogo, vos quam hactenus
Navastis operam? *Jon.* Occasio non dum obtulit
Quæsita frontem: huic quisque cum se se offeret
Dextram paratus inferet; ne det fugæ
Inopina tergum. *Ad.* Urgenda res est, dum vacat;
Jos. Nimia celeritas sæpe rem perdit. *Ad.* Mora
Sed sæpe perdit nimia. Veracis Dei
Interpres Abiathar, cui albentes comas

In-

Infula coronat sacra, cœptane approbat?
An aliter? *Jon.* Operi aspirat, & Numen vocans
In vota cæsis victimis, læta omnia
Portendit, animosque ore blandiloquo ciet.
Hæc rerum initia: quidquid eveniet, redux
Narrabo (*a*) *Ad.* Vota hæc prospero Superi exitu
Utinam secundent! Ægra quod si spes cadat;
Intrepidus ore moriar. Est misero gravis
Usura lucis... En Abisag... Sed gradum
Reflectit anceps (*b*).

SCENA II.

Abisag, Adonias.

Variis artibus Adonias conatur animum Abisag expugnare. Hæc sui propositi tenax, Adoniæ conjugium constanter recusat.

Ad. CUR refers gressum! Pudet
Te fors Adoniam alloqui! *Abis.* Essem ne tibi
Molesta, timui. Gratulor nunc, si lubet,
Sociale fœdus initum, & iras denique
Ab amore victas. *Ad.* Empta sed magno est mihi
Pax ista pretio. *Abis.* Superat imperium sui
Pretium omne. *Ad.* Frater hoc quoque imperium abstu-(lit:
Licitis potiri nam vetans thalamis, sequi
Me cogit iræ ultricis effrænem impetum.
Quot ipse supplex, o quot effudi preces!
Audire at ille renuit, & quoties loqui
Aggredior, arte interferens longas moras,
Loquentis alio verba detorquet. *Abis.* Negat
Cur Frater aures? *Ad.* Quia subolet illi, mea
Quo vota spectent. *Abis.* Regis Isiaci an cupis (*c*)
Sobolem petitam tot Procis? Pharao hanc tuo
Fratri spopondit. *Ad.* Quam cupio non tam procul,
Ab Urbe distat: imo ne distat quidem,
Nec procul abesse, dum simul loquimur, potest.
Abis. Traheris inani spe. Unus hic viduas nurus
Decet jugalis thalamus: urna quæ clausos viri

(a) *Discedit.*

(b) *Abisag pedem retrahit ut inopinatum Adoniæ occursum vitet.*

(c) *Sermonem artificiose divertit ad filiam Pharaonis, quæ fuit Salomonis uxor ut habetur lib.3. Reg. c.7. 8.*

Cineres recondit. David ibi fecum meos
Detinet amores. *Ad.* Nil renuo: Davidem ama,
Non qui fepulcro tegitur, & fenfu caret;
Sed qui virentes ducit incolumis dies.
In Sobole Patrem nofce. *Abif.* Ne agnofcam vetat
Male fanus ardor, quo flagras. *Ad.* Vetat magis
Jactura regni. Teneo quid tecum, filens
Cupido volutes corde: non nifi Rex tuos
Thalamos meretur. Debui fceptri decus
Gladio tueri melius: haud aliter fatis
Placuiffe poteram. Solyma, fi Regem cupis;
Nova bella cernet: unda Jordanis fluet
Cruenta, ut ante: caufa bellorum nova es, (mul
Graviorque. *Abif.* Quamvis Africam, atque Afiam fi-
Ditione premeres: imo glacialis maris
Oras, & ultra quidquid eft Thulen; tamen
Votis renuerem. Difce, quam fallax tua
Sit fpes, eoque, dum licet, revoca gradum
Fuit unde lapfus: linque præcipitem viam,
Ad te redire nunc potes tuto. *Ad.* Nequit
Parere monitis fræna detrectans amor.
Abif. Perge ergo: propera, quo rapit greffus furens
Cupido: fœdus rumpe: prædonum manus
Sub figna coge ... *Ad.* Crimen omne, quod exprobras
Tibi imputabit fama; nam fratrum excitas
Tu rurfus iras, tuque, fi nefcis, jubes
Ut arma violent foedus. *Abif.* Egone arma inftruo?
Egone cruentas molior cædes? *Ad.* Prior
Caufam ad nocendum qui dedit, gravius nocet.
Abif. Num pura Abifag te fides fœdifragum
Docet effe? Caros quod Viri cineres amem
Tua movet odia! Damna tu regno inferes,
Nifi mens habenas contrahens, fenfus regat.
Injicere amori fræna te doceant tui
Exempla Fratris. Hic mei cordis cupit,
Cui Patris imago inhæret, ut cuftos Fides
Penetrale fervet, nemini & liceat facras
Tentare latebras. Frater o quoties meum
Flens ipfe fletum laudat, æftufque approbat
Dolentis animi! Sic monet quoties, prope
Davidis urnam! patrius hic claufus cinis
Foveat vetuftas pectoris flammas, novas
Pectore removeat. David exanimis tuo
In corde vivat. Conjugum concors amor
Mortalis ævi fpatia tranfcurrit: nihil

Mors

Mors habet in illum juris. Hæc mihi non ſemel
Sollicitus iterat. *Ad.* Jam tace. Frater ſubit.

SCENA III.

Salomon, Abiſag, Adonias.

Salomon, ut Fratri ſpem omnem adimat, innocuo artificio fingit ſe velle cum Abiſag conjugium inire: quæ fictio occaſionem præbet Adoniæ, nuper auditas Salomonis laudes, ironice exprobrandi Abiſag, quæ ſuam in ſuſcepto conſilio conſtantiam luculentius utrique manifeſtat.

Sal. [SImulare cogor, aliqua ne Fratri ſuper
Sit ſpes] Abiſag, fletui jam ſat datum eſt:
Jam parce lacrymis: teque regalem ad torum,
Sceptrumque compara. *Abiſ.* Audio? an videor mihi
Audire? Video? an fallor! *Sal.* Audis, & vides
Regem jubentem. *Ad.* Nempe qui Fratrem docet (*a*)
Iniicere amori fræna, qui cordi cupit,
Hæreat imago ut Patris, & cuſtos Fides
Penetrale ſervet. *Abiſ.* Proh dolor! Salomon, loqu
Cum plura cupiam; verba præcludit dolor.
Cauſam ſed orent jam data fides, fas, pudor,
Tua ipſa pietas, mœſtus hic large fluens
Per ora fletus. *Ad.* Ne time: patrius cinis
Veteres fovebit cordis ardores; *Abiſ.* Nova hæc
Unde tibi mens? quæ cauſa? dic oro. *Sal.* Tuum eſt
Perficere juſſa: noſcere eſt vero meum
Cauſas jubendi. Nemini in Regem licet
Judicia ferre. *Ad.* Juſta cum Reges jubent.
Sal. An æqua jubeant, nemo privata audeat
Librare trutina. *Ad.* Populus imperium dedit.
Sal. Subiere ſponte qui jugum; taciti ferant.
Ad. Quod ferre nequeunt, jure detrectant onus.
Sal. Sed non quod impar viribus reddit latens
Regni cupido. *Ad.* Quiſque diſſimulans ſua,
Aliena carpit vitia. *Sal.* (*b*) Apage fletum hunc: genas
Abſterge Abiſag. Poſce jam: quænam cupis
Ab Amante dona? *Abiſ.* Mortui cineres Viri,
Meaſque lacrymas. Si locus ſupereſt ſpei,

(a) *Ironice.*

(b) *Per modum contemnentis verba Adoniæ, vertit ſermonem ad Abiſag.*

Precibusque ; patrium da mihi , ut bustum prope ,
Quotquot supersunt exigam mœstos dies .
Non regna posco , non opes . David meum
Bonum omne secum , gaudia & secum tulit .
Mihi nil reliquit dulce , nisi plenam sui ,
Memoremque mentem . Læta te Conjux manet ,
Quæ cupida forsan increpat lentas moras ,
Quam si petitam respuas ; Solymæ plagas
Late videbis fervere Ægypti incolis ,
Quos pharius ultor Rex aget : sua transvehet
Huc monstra Nilus . *Sal.* Pone fœmineum metum :
Mea non lacesset arma , sit quamvis opum ,
Hominumque dives . Militans nobis Deus ,
Currus , & equites naufragi , & scissum mare
Menti recurrent . Gente ab antiqua satos ,
Quæ retulit ampla spolia victrici fuga
Illius ab atavis , metuet adverso pede
Stantes in arma poscere . At si fors velit ;
Laudum paratur ampla tibi , Frater , seges .
Tu nostra Ductor agmina imperio reges .
Ad. [Irrideor ; sed par pari reddam] Ducis
Munus quod offers , esse mihi gratum nequit ;
Ni faveat armis æquitas causæ : hæc alit
Pugnacis iras militis ; fortes viros
Hæc nil metuere prodigos vitæ docet :
Ubi contra inanes trepidat ad motus , tubæ
Et antequam bellum canant , sibi conscius
Bella gerit animus secum ... *Sal.* Omitte hæc. Imminens
Me causa cogens , pristinam ut mentem exuam
Et gravis , & æqua est , tegere quam clausam sinu
Opus esse duco . *Ad.* Garrulam at famam , ut velis ,
Silere coges nunquam : in aures omnium
Bellorum iniquas sparget hæc causas . *Sal.* Nihil
Cui mens latenter exprobrat , spernit levis
Commenta vulgi . *Ad.* Nulla igitur in me tibi
Est mora . Jugatos currui pharios Duces
Solyma videbit , Solis atque ustos face
Nimium propinqua Ægyptios cogam frui
Meliore cælo . Sed gravem spoliis Sion
Me læta postquam exceperit : postquam ad tuos
Niliaca signa fuderim victor pedes ,
Petere licebit præmium ... *Sal.* Abiectas lucri
Spes urget animas . *Ad.* Vile nil cupio . *Sal.* Sat est
Cingunt frequentes mihi latus Proceres , amor
Quos laudis urit : eligam hos inter Ducem .

Cri-

Ad. Crimen rogantis diluam . . . *Sal.* Non dum siles .
Te prompte , Abisag , compara ad thalamos novos .
Sic jubeo [Nulla sospitem fas est via
Servare Fratrem] (*a*) *Abis.* Conjugis tumulum petam .
O liceat urnæ dulci in amplexu mori !
Ibique cineres detur adiungi meos
Viri cineribus ! (*b*) *Ad.* Siccine ignavus feram
Jus omne læsum ?

SCENA IV.

Adonias , Jonathas .

Furore agitatus Adonias occurrit Jonathæ adventanti , eumque ad celerius Salomonis cædem promovendam , acriter impellit . Jonathas locum , tempus , & insidiarum modum Adoniæ exponit .

Ad. QUO loco est res ? Anne adhuc
Lentæ morantur dexteræ ? ad cladem piger
Adhuc Joab hæret ? Ite : mihi caput
Afferte dirum , ut inde divellam , mihi
Diadema raptum . *Jon.* Non prius condet Thetis
Occidua solem , quam hostias inter cadat
Salomon ad aras *Ad.* Josuæ sol , qui stetit (*c*)
Ad jussa quondam , nunc diem præceps agat ,
Properetque currum mergere . At dic , quo ordine
Peragenda res est ? Præripere pectus cupit
Gaudia propinqua . *Jon.* Rex ubi intulerit gradum ,
Et sacra subierit adyta : ubi pingui undique
Redolere thure cœperint aræ , latens
Illic Joab , debitam tuto in loco
Pœnam caventis instar , ad Regis pedes
Cadet inopinus , postulans multa prece ,
Oransque veniam . Vix eam Patris memor
Negabit ore Rex truci , centum illico
Enses micabunt , Regis & pavidum in sinum
Torrentis instar irruent : illis iter
Proclive sternet horror , aut large cruor
Utrinque fluitans . Malo sed cœpta exequi ,
Agenda quam frustra loqui . Tu , quod tuum est ,
Insiste precibus : nuptias rursus pete ,

(a) *Sic loquens discedit* .
(b) *Discedit* .
(c) *Josu. c. 10, 13.*

Quamvis negandas rurſus. *Ad.* Ecquis nam audeat
Rogare, poſtquam eligere Rex ſceptri, ac tori
Conſortem Abiſag ſtatuit? *Jon.* Id miror! tamen
Ne cede, & iterum audacter inſta. Fac tuam
Cauſam ut perorent Berſaba, & Nathan, quibus
Rex ſceptra debet. Sollicita cura hæc teget
Facinus paratum: ſuperat omnem nam fidem,
Toties rogantem quærere armata manu
Quod ſemel, & iterum fronte demiſſa rogat:
Adde quod iniqua conflat invidiam in tuum
Repulſa Fratrem, plebis & faciles tibi
Devincit animos. *Ad.* Nequid inopinum accidat,
Vertatque ſpem omnem timeo: me terret nimis
Tranſacti imago temporis. *Jon.* Suos habet
Fortuna reditus, terga quæ vertit fugax,
Obvertet ora mitior. Laxas ſpei
Permitte habenas. Egomet inviſum caput,
Sertumque regium afferam. Parva eſt mora:
Brevi regrediar: ac datam implebo fidem (*a*)
Ad. Vota hæc ſecundet, faveat & cœptis redux
Sors melior. Omen capio: magnanimus Ducum
Ardor triumphum ſpondet. Ulciſcar: cruor
Fraternus oſtro adiunget inſuetum jubar.

ACTUS III.

SCENA I.

Salomon, Nathan.

Poſt diu auditas ſupplicum preces, Salomon antequam quidquam decernat, Nathan conſulit, ejuſque approbationem requirit.

Sal. HUC uſque populi precibus, ac promptas dedi
Aures querelis: ante ſed mea quam manus
Decreta firmet, ſiquid irrepſit minus
Cautum, vel æquum expende (*b*) Me tua mens regat
Aſſueta Cælo: hæc tollat ancipites metus.
Nat. Terrarum ubique quot quot imperium tenent,
Clementer utinam ſupplicum excipiant preces!

De-

(a) *Diſcedit.*
(b) *Rex porrigit Nathan plures libellos ſupplices, antequam illos ſuo nomine ſignet.*

Decet esse populo pervias Regum domos,
Melius inermis quas amor servat, vigil
Quam miles armis. Rex amet populum ut Parens;
Ab illo amari si cupit. Juris sui,
Pleneque dominus, ac jugi impatiens homo
Amore trahitur, subjici imperio & nequit,
Sibi imperari nisi velit. Dominos sibi,
Regesque statuit civium arbitrium, sua
Sibi vincla nectens. Ratio communis boni
Privata vicit commoda ... At lentos movet
Huc dubia gressus Bersaba: evectâ gerit
Dextrâ libellum supplicem. *Sal.* Oratum venit
Sæpe illa, ut aliquem subtraham pœnis reum.
Ingenita pietas tangit illius sinum.

SCENA II.

Salomon, Bersaba, Nathan.

Porrigit Bersaba filio suo Salomoni libellum supplicem, quo Adonias petit conjugium sui cum Abisag: quamobrem Salomon necessitate compulsus ad Adoniæ mortem decernendam, amare conqueritur. Bersaba rei inscia verba Salomonis sinistre interpretatur, & in illum invehitur.

Bers. Adhibenda nulla est ars, dat ubi verbis amor
Pondus, ubi Genitrix orat, & Natus preces
Orantis audit. Ipse, quid poscam, lege.
Sal. Vultum jubentis indue, & factum puta,
Quod poscis (a) At conjugium Abisag... Quid rei est?
.... Supplex Adonias petit ... Perii miser,
Et unde minime rebar, heu dolor! irruit
Fatale telum .. Ah Mater! .. ah fati tenor!
Bers. Horresco: quodnam impendet inopinum malum?
Nat. Quo prisca virtus abiit? intendat suas
Nunc illa vires. Concita instructas probat
Maris unda naves: placida si jaceat; rudis,
Et parva quævis cymbula oceanum secat.
Sal. In sua ruenti fata quid juvit moras
Obiicere? nostram, callidus damno suo
Artem fefellit. Flectere o posset Dei
Ultoris iram! Summe tu Vindex reo
Vel immerenti parce, telumque imminens

(a) *Libellum supplicem interrupte legit.*

Adducto ab arcu retrahe, ut armatam Abrahæ (*a*)
Revocasti ab ictu dexteram. Fratris loco
Votiva, ut olim, cæsa procumbat pecus.
Nat. Veniam obtinendi nulla jam superest via.
Sal. In nostra Numen vota solemni prece,
Sacrisque flecte victimis. *Nat.* Frustra est, Dei
Decreta potius tacitus, & prona, ut decet,
Venerare fronte. *Sal.* Veneror. At monitis eget
Attonita mens tuis, remotis arbitris,
Cupio, ut ab æthra in te, quod eloquium fluit
Leniat acerbum vulnus. *Ber.* (*b*) Itane audis preces,
Matrisque vota? quereris, exclamas, doles. (*c*)
Mihi scire causas non licet. *Sal.* Numen vetat.
Ber. Ingrate! ... nullo Bersabam in pretio putas
Nunc esse habendam? Tela sed patior meis
Fabricata manibus. *Sal.* Quid traho hic ultra moras?
Mater, revisam te brevi. *Ber.* Matrem vocas?
Non ego, sed alpis te nive immota rigens,
Jugum vel algens Caucasi in lucem tulit,
Tuisque labris ubera admorunt tigres.
Nam quid diutius simulo? Mihi num dedit,
Responsa? nostrum lumina in vultum semel
Num flexit? equidem jussa tu Matris feres,
Quam vel rogantem spernis. Ah nusquam est fides!
Mihi sceptra debes: Fratris occultos dolos
Ars nostra prompte retudit: ut Rex te sui
Regalis ostri mallet hæredem; vigil
Quot ego labores pertuli! Heu furiis agor
Incensa ... Nunc vetans Deus? nunc abdita
Arcana Matri? *Sal.* Fata cur misero exprobras,
Quæ cogor invitus pati? *Ber.* Tua te facit
Cupido miserum: fræna populorum regens,
Jam fræna negligis tui, ac stulti æstuans
Amoris ardor deviam mentem trahit.
Sal. Externa rerum decipit species. Breve
Annue dolori tempus: evolvam dein
Casus latentes, ordine & nosces suo,
Queis premor, acerbæ Sortis occultas vices (*d*)
Ber. Facilius ignem chlamyde celatum feres,
Quam corde amorem: ars ipsa, quæ clausum tegit
Latere nescit. Captus est Salomon: ciet

Hæc

(a) *Genes*: c.22. 12.
(b) *Discessurum remoratur*.
(c) I*ronice*.
(d) *Discedit*.

Hæc causa rursus odia ; queis obstat tamen
Fraterna pietas : utque cum effusi ruunt
Boreas, & Eurus, nutat utrumque in latus
Jactata puppis ; ille luctantes ita
Fluctuat amores inter... Haud scio quem exitum
Habitura sit res. Vetera Davidicæ domus
Exempla timeo. Fratris in fratrem manum
Armavit olim Thamaris læsus pudor (*a*)
An nollem Abisag ...

SCENA III.

Bersaba, Abisag.

Abisag quærenti causam insuetæ perturbationis Salomonis in quem forte incurrerat, reponit Bersaba eam esse Fratrum ad ipsius nuptias aspirantium rivalitatem, qua occasione aliqua excitatur inter ipsas contentio.

Ais. TRiste quid Regi accidit?
Dejectus ore, flexibus variis ubi
In se recurrit atrium, mihi obvius
Fuit ille nuper. Ut solet, gressum statim
Repressi. At ille vidit ut me, ora illico
Alio reflexit mœstus, & longum trahens
Suspirium imo e corde, properanter loqui
Plurima parantem, concito liquit gradu.
Dic oro : quid novi accidit? *Ber.* Rursus calent
Fratrum odia. Thalamos quisque sibi poscit tuos :
Ruent in arma rursus. *Abis.* An crimen meumest
Quod amer? *Ber.* Amatur nulla, nisi placeat sibi,
Cupiatque amari. *Abis.* David invitam, ut puto,
Te quondam amavit. *Ber.* Non diu invitam. Spei
Alimenta desint ; flamma paulatim tepet.
Abis. Alimenta præbent num spei tristi obsitus
Squalore vultus, & Viri ad tumulum fluens
Large per ora fletus. At nostram pudet
Causam tueri. Diluat fictum nefas,
Potuit videri quæ nocens. Nullo indiget
Spectata probitas teste. Quod si tu velis
De me rogare ; neminem excipio : roga
De plebe quemvis, aulicos ipsos roga :
Ipsam vel umbram Conjugis. Non sic loqui
De te rogatus Urias posset. *Ber.* Viro

Amor

(a) *Lib.2. Reg. c.13. 28. 29.*

Amor ille funus attulit. Forsan tuus
Deterior illo, cæde non una satur
Galeas inanes, corpora & passim Ducum
Inhumata campis sparget, & claras Nurus
Lugere coget funebri indutas peplo.
Rex motus ira, Fratris incepit necem
Versare mente. Quot sibi implicitas trahet
Mors una clades! Populus ægre, quem tulit
Carere regno, luce privari feret?
Abis. At ego quid ultra possum, ut extinguam faces
Insani amoris? clausus in venis furit
Magis ille, flammas cum minus prodit suas..
Tu fide Coniux, tela Natorum e manu
Excutere, & ictum in fœdus unanimes potes
Revocare Fratres. Iunge me comitem tibi;
Pax erit: in auras tunc furor, cum spe tori
Vanescet illico. Adde quod erit tum magis
Fides jugalis tuta. Meus haud me satis
Rigor tuetur. Mœsta sim licet, ac tuo
Respersa cinere, nube funerea licet
Obducta frontem, & madida pallentes genas,
Placui. Periclo non caret, nec te latet,
Placere Regibus.

SCENA II.

Adonias, Bersaba, Abisag., Roboam.

Dum Adonias sciscitatur, quem exitum habuerint preces a Bersaba pro ipso interpositæ, supervenit Roboam, qui illum jussu Regis militibus custodiendum tradit: quamobrem ille in Fratrem invehitur. Bersaba, & Abisag conantur furorem illius compescere.

Ad. BOni an quidquam licet
Sperare misero? Matris impensas preces
Fuisse inanes, haud puto. Ergo cur adhuc
Optata differs nuntia? *Rob.* Tibi Rex vetat
Discessum ab aula: quin jubet vigiles tuo (*a*)
Hærere lateri *Ad.* Cur? *Rob.* Meum est jussa exequi.
Causas latentes Rex scit (*b*) *Ad.* Itane Bersaba...
Ber. Silere me cogit pudor. *Ad.* Frustra siles:
Res ipsa loquitur jam satis *Ber.* Rem dicam, ut est.
Adi-

(a) *Adoniam tradit custodibus.*
(b) *Accepto Adoniæ gladio discedit.*

Adire Natum licuit : adeuntem obsequens
Excepit ille, ut excipi matrem decet.
Sed vix libello in supplice attentis, tua
Perlustrat oculis vota; sine sensu stupens,
Cæloque veluti tactus hæret : mox sibi
Redditus, ut œstro percitus, dubio gradu
Errat, furitque : mœsta non unus color
Suffundit ora, vicibus alternis genæ
Pallent, rubentque. Plura submisse prius
Secum locutus, se meis propere dein
Removet ab oculis. Fidus it lateri comes
Nathan. *Ad.* Silere jam potes : totam satis
Rem teneo. Nec regna, nec amor socios ferunt,
Amore captus ferre rivalem nequit :
Quamque ipse cupide deperit, crimen putat
Placuisse Fratri : nec sat est illi mea
Rapuisse per vim sceptra, vel sponsam invidet,
Post nuper ictum fœdus, & nuper datam
Ultro, citroque mutuo amplexu fidem
Sic me superbo conterit gressu? Ultio
Consumpta nondum est omnis : audebo novum
Quod ipse stupeat facinus, a me quod fremat
Esse occupatum. (*a*) Concidit postquam irrita
Spes omnis; in me nulla, quæ posthac vibres
Jacula supersunt : nunc magis Fratrem time,
Nihil timentem. Fræna diffregi metus :
In omne se se crimen effundat furor.
Sævire didici : tu præis, gressus sequar.
Fuero sed ultor vilis; exsuperem nisi
Tua facta. *Ber.* Acerbis pone jam dictis modum :
Compesce questus. *Ad.* Ecquis in summis malis
Miseri querelas damnet? At factis loquar,
Quæ sileat ætas nulla. Jam venas calor
Insuetus urget : rapior, & quo nescio,
Sed rapior. *Abis.* Animi fortis est rerum vices
Sic ferre, ut illum læta nec nimium efferant,
Nec dura frangant. Cæca nos miseros facit
Cupido : inanem e corde spem tolle, & metum,
Fortunam utramque tollis e medio. *Ber.* Suæ
Sibi quisque sortis auctor, aut felix erit
Si ratio habenas sensuum, ut par est, regat :
Aut si sequatur degener cæcos Duces;
Miser erit inter sceptra, & attalicas opes.
Ad. Adhibere medicas vulneri alieno manus

Scit

(a) *Apostrophe ad Salomonem absentem.*

Scit sæpe, Vulnus ferre qui nescit suum.
Pervasit ulcus ima jam cordis, locus
Superest saluti nullus, in voto est mori:
Precedet at mortem ultio. *Abis.* In melius refer
Consilia. Sævus non tibi Frater negat
Tædas jugales; sed ego utrique. In me prius
Iterata jacula vibret e cælo Tonans,
Quam labe primas patiar aspergi faces.
Mors atra nexus solvere animorum nequit:
Quin molis expers terreæ, splendet magis,
Amor, flagratque purior. *Ad.* Mentem sed hanc
Fidei tenacem flectet aurati decus
Sceptri: jubentis Regis obtentu teges
Versæ retrorsum mentis indecorem notam.
Abis. Non si minetur lictor horrendam necem,
Mihique laniet chalybe dentato latus;
Decreta mutem. Sola præsidium sui
Ipsa sibi virtus, ducit extra se nihil
In pretio habendum, cumulat & laudem sibi
Ardua ferendo. *Ad.* Nulla te pietas movet ...
Abis. Mitte has querelas: nanque mihi sic mens manet
Immota, verti ut nequeat: Esto, sed queat;
Quid inde speras? frugifer Fratri tuus
Labor erit. An credis fore, ut quam deperit
Sinat ille ab alio præripi? *Ad.* Adeo sum miser,
Ut pateat omnis rebus adversis via,
Et nulla lætis? Inter hæc mala, quod tamen
Solamen affert aliquod, est Regis furor
Lethum minantis. *Ber.* Noverit Salomon tori
Superesse spem nullam, illico irarum feros
Remittet æstus. *Abis.* Sic loquar, nullum ut locum
Spei relinquam. Cupere desistet? sciens
Nunquam futurum, quod cupit. *Ber.* Jam nunc graves
Tumentis animi reprime fluctus, & novos
In Fratris amplexus redi: hos ne mors quidem
Dissolvat unquam. Pergere at nos hinc juvat,
Et adire Regem, cujus irati minas
Cohibere, noster labor erit. *Ad.* Quid quid dolor
Nuper coegit me loqui, oblitum volo. (*a*)
Quid esse credam? Jussa quo spectat cohors
Ubique me a tergo sequi? & liber mihi
Vetitus ab aula egressus? Ah nollem dolos
Patuisse Fratri. Suspicax Regum timor
Punit frequenter morte, perfidiæ leves,

Um-

(a) *Bersaba, & Abisag discedunt.*

Umbrasque inanes : nec semel pœnam exigit ,
Celatque crimen , ne sui exemplo magis
Manifesta noceat culpa , quam prosit sui
Timore pœna . Fluctuo inter spem , & metum
Incertus animi : nil adhuc certum puto ,
Nisi Fratris odia .. Jonathas aderit brevi .
An sit aliquid spei , audiam , aut saltem sciam
Certo timendum quid sit . Est pejor malis,
Graviusque corda laniat incertus timor .

ACTUS IV.

SCENA I.

Nathan , Adonias .

Adonias Prophetæ opem implorat , quam cum obtinere nequeat , eum conviciis , & contumeliis afficit . Colloquentes prodeunt .

Ad. MEA Numen ergo vota non audit ? meis
Nec pondus ullum lacrymis inest ? Parens
Non aliter iram Numinis flexit , tibi
Comperta narro . Cur caret fructu dolor ,
Similisque Nati fletus ? An frontis decus ,
Sceptrumque pretium fletui adiungunt ? preces
An fusæ ab ore Regis inveniunt iter
Mollius ad astra ? *Nat.* Corda scrutatur Deus ,
Animique latebras , decipi & falsa nequit
Pietatis umbra : crimini crimen novum
Hæc potius addit , gravius & multo nocet
Simulata virtus , quam patens vitium . *Ad.* Meo
Quod bella Fratri moverim an ficte piget ?
Nonne ipse subii sponte fraternam domum ,
Ad genua pronus accidi , & sceptrum volens ,
Sertumque regium obtuli ? Poteram diu
Mea jura bello persequi : poteram exteros
Ciere gladios . Mea quot optabant sequi
Vexilla populi ; sed amor eripuit manu
Mihi tela . Num mihi exprobras viduæ torum
Petiisse Abisag ? Conjugem at culpa vacat
Petiisse . *Nat.* Numen id tamen jubet hac die (nocens
Sanguine piari . *Ad.* Ergo innocens ... *Nat.* Num quid
Isacus olim ? e stirpe magnanima genus

Illustre ducis: sustine Abramidum decus.

Ad. Tu revoca ab ictu, nam potes, precibus sacris
Tonantis arcum. *Nat.* Quid rogas frustra? tua est
Decreta jam mors. *Ad.* Nil spei superest? *Nat.* Nihil

Ad. O machinator sceleris, o fallax caput!
Non tibi furentes entheus pulsat calor,
Agitatque venas. Fingis hæc; metu ut queas
Subigere Regum corda, clavumque imperj
Versare dextra. Hac arte deceptus senex,
Morboque languens David ad regnum extulit,
Mea sceptra natu qui minor, placide pati
Debebat. Arte nunc pari obiectas meum
Caput furori Regis, & cælas dolos
Jussu Tonantis. Forsan occumbam; at manum
Non defuturam spero, quæ nostros tuo
Cruore cineres saturet, illos nec sinat
Jacere inultos. *Nat.* Innocens nullum solet
Mortis genus timere. *Ad.* Quem vitæ pudet,
Mors nulla terret. *Nat.* Citius æthereas cupit
Adire sedes vir probus. *Ad.* Nempe est probus (*a*)
Qui specie honesti callide fraudes tegit.

Nat. Inesse vitium rebus obiectis putat
Vitiosus oculus. *Ad.* Luce se prodit sua
Sincera virtus. *Nat.* Sed nisi livor suas
Offundat umbras. *Ad.* Renuit illam qui sequi
Plerunque laudat. *Nat.* Quod sibi quis non probat
Improbat in aliis.. Rex subit: Regem roga.

SCENA II.

Salomon, Nathan, Adonias.

Salomon se paratissimum Prophetæ exhibet, ad obediendum divino jussui ante solis occasum. Adonias variis rationibus paratum ictum remorari conatur. Demum simulans se ad cor redire, ultro se morti offert hac lege, ut in solemni, quod imminet, Sacro, ad aram, instar victimæ mactetur.

Sal. Parebo Nathan: ante quam Titan diem,
Hesperium in æquor mergat (*b*) Hinc remove gradum
Tu luce nobis carior, nostro tamen
Moriture jussu. *Ad.* Cujus at culpæ reus

Su-

(a) *Ironice.*

(b) *Postquam allocutus est Prophetam, vertit sermonem ad Adoniam.*

Subire cogor fata? Si culpam putas
Petiisse Abisag, quam tibi uxorem cupis;
Renuere nostris precibus ad pœnam est satis:
Sævire citra sanguinem in Fratrem potes.
Te quæso amantem flectat infelix amans.
Facile movetur animus alienis malis,
Quem propria tangunt. *Sal.* Cogis, id nollem licet,
Repetere rerum exordia. Edixit movens
Deus ora Vatis, quem voco in testem, ut meo
Munere potitus pace, Abisag si tibi
Jugale vinclum posceres, meritas dares
Cruore pœnas. Mille curavi artibus
Ne posceres: me nanque cupienti alloqui
Aures negavi sæpe: jam cœptas preces
Sæpe alia miscens dexter abrupi, ut metus
Frænaret ora: velle me in partem tori
Recipere Abisag arte simulavi. Sed o
Curas inanes! tibi tot occludens vias,
Aliam reclusi. *Ad.* Certior factus malum
Vitare poteram. *Sal.* Vetuit at Numen tibi
Tua fata retegi. *Ad.* Et undenam vetitum hoc Dei
Tibi scire licuit? *Sal.* Nathan indixit sacro
Abreptus œstro. Sic solet Genus alloqui
Mortale, Numen. *Ad.* Capere sic Reges solet
Vates dolosus, Numen obtendens dolis.
Sal. Versare num potest dolos mens, quam rapit
Æthereus ardor? *Nat.* Quilibet facile suis
Metitur alios moribus. *Ad.* Quia Rex adest,
Tua dicta patior. Egone fallax? dic ubi
Vel cui latentes instruo insidias? ut his
Mihi pararem sceptra, ne regni quidem
Cupido suasit: intuli hinc bellum, palam
Congressus armis. *Nat.* Nisi quod occulte dolus
Bella hæc paravit. *Sal.* Desinite: certa est fides
Præbenda Vati. Strictus at mucro prius
Mea corda fodiet, quam tuum fodiat latus:
Præveniet ensem fors dolor. Jam nunc cape
Vale supremum, atque inter amplexus, tuas
Permitte mœsto ut irrigem fletu genas:
Eoque madidus, ora Davidis subi,
Tuoque Pater in vulnere agnoscat meum.
I, perge: Numen sic jubet, nostrum in sinum
Rediture nunquam: perge... *Ad.* [Protrahere est opus
Ictum paratum].. Pergo. (*a*)... sed alia est mihi
Inie-

(a) *Fingit se divino afflatu, ad meliorem mentem converti*

Iniecta mens ... Hanc cordis humani Arbiter
Iniecit ... En quod imperat, prompte exequor,
Duce illo, & Auspice. Ille nutantem metu
Revocat in animum robur. O quam me pudet
Timuisse. Ferro pectus impavidum offeram,
Ultro reposcam vulnera. Hæc solum in mea
Morte est dolendi causa, fraternus dolor:
Sed hunc dolorem minuet eadem, qua doles
Mors ipsa, læta fronte quam intrepidus feram.
Interea id unum posco, si quidquam merent
Suprema Fratris vota: da tecum sacras
Ut pronus ante aras tibi, & regno precer
Pacis perenne munus, interque hostias
Deo offerendas macter, ac cæsus cadam.
Nostro litare publicum in regni bonum
Cruore liceat. Pecude votiva hoc Sacrum
Reor Tonanti gratius multo fore.
Primo in juventæ flore, vitæque integer
Sim licet: in arma quippe me ignarum impulit
Innocuus error, offeram gladio caput.
Quod si Sacricola trepidet? ignavam manum
Stimulabo dictis .. Compara sic te interim,
Ut nulla nubes asperet frontem, hinc videns
Spectator ambos, debeat quisnam necem
Subire, cupide quærat, ac discat Deo,
Quæcumque jubeat, obsequi officio pari.

Jal. O grande Patriæ, stirpis o nostræ decus,
Frustra, ut ego meritis temperem a lacrymis jubes;
Nam flere cogis, dum vetas. Sevæ tigres,
Rigidæque rupes vix sequi hoc jussum queant.
Te coram at ægro in corde crebrescit dolor.
Procul recede. Temporis spatium breve
Sibi nunc reposcit mentis attonitæ stupor.
Postquam redierit animus, amplexus petam,
Iterumque lacrymans oscula infigam. Mori
Hæc inter utinam liceat! *Ad.* Ah potius dies
Tuos, meosque vive. Mihi mea mors erit
Vel invidenda, tale si pretium ferat.
[Non parvi habenda est parva, quam obtinui, mora
Urgebo cæpta] (*a*)

SCE-


(a) *Hæc secum ipse loquitur discedens.*

SCENA III.

Salomon, Nathan.

Salomon varie agitatus, opem Prophetæ implorat. Hic eum in ſuſcepto conſilio confirmat.

Sal. CUR opem differs? regat
Jam prope ab honeſto devium tua me fides,
Quæ dux mihi ſit rebus in dubiis. *Nat.* Recens
Quæ cauſa cordis anxios motus ciet?
Sal. Fraterna virtus, grande quæ ſpecimen ſui
Lethi ſub horam præbet, ut lampas cito
Moritura, in oculos majus effundit jubar.
Hæc ipſa virtus forſan efficiet, manum
Ut jam paratam Sacricolæ impediens Deus,
Remoretur ictum. *Nat.* Vana ſpes! *Sal.* Rurſus peto:
Nam rurſus anceps hæreo: an fuerit ſcelus
Conjugium Abiſag petere. *Nat.* Quod petitur bonum
Latens cupido ſæpe vitiat. Sed vacent
A ſcelere thalami vota: num regni vacat
Ambitio, qua nuper furens ſigna intulit,
Movitque bella? *Sal.* Pœnituit auſi: hinc dolens
Pacem popoſcit. *Nat.* Nempe poſtquam rerum egens,
Propulſus, exul caruit effugio. Locum
Tunc vera ſolum laus habet, cum quis volens,
Lubenſque, quod rectum eſt, amat. Verum loqui
Te plura pudeat. Quid moras nectis? diu
Parere renuit, ſero qui paret. *Sal.* Statim
Perge ergo ad aras. Thura, Sacricolæ, foci
Cultri ut parentur præcipe, & lecti greges
Stent ante limen ordine innexi ſuo.
Vocatus adero (a) Qui regis Mundi vices
Mihi dexter adſit.



SCE-

(a) *Diſcedit Nathan.*

SCENA IV.

Salomon, Bersaba, Abisag.

Perorant Bersaba & Abisag pro liberatione Adoniæ; sed frustra. Salomon eas mittit ad Nathan, ut ab illo totam rerum seriem audiant.

Ber. QUid novi auditur. Prius
Clausisse mallem morte properata dies.
Nulla ergo pietas, nullus impediet pudor
Immane factum? O sæva rerum exordia!
Sævire fratris cæde, qui cœpit furor,
Quantum ille, quantum mox tui, infelix Sion,
Sparget cruoris! Non tibi hæc David dedit
Exempla. In illum amore cum regni flagrans
Moveret olim prælia Absalom, suos (a)
Sæpe ille, dictis hisce, præmonuit Duces
Servate Natum sospitem. Per me tibi
Hæc verba David repetit. Irritæ an preces
Erunt Parentis? *Sal.* Me rogas frustra: haud potis
Annuere precibus sum tuis. Vellem quidem;
Sed vis superior obstat ... At cordi intimum
Quid refrico vulnus? *Abis.* Te per ego bustum Patris,
Measque lacrymas obsecro: hanc mentem exue
Tibi imperare disce, qui populo imperas:
Pudeatque Regem sensuum illecebras sequi.
Regi pudenda servitus nulla est magis,
Quam quæ vel ipsos dedecet servos. *Ber.* Age
Jam loquere aperte: vulnus occlusum sinu
Resera. Mederi vulneri occulto nequit
Ars ulla. Quænam Regis arbitrium sibi
Furibunda Erinnys subigit? *Abis.* Erras si latens
Lenire posse te putas ulcus tui
Fratris cruore. *Sal.* Cogor illius necem
Jubere. Fata sic ferunt, nutu regit
Quæ summus astrorum Arbiter. *Abis.* Se se in malum
Urget voluntas, cujus ut pudeat minus
Incusat astra. Sæva si te urit sitis,
Adiunge funus funeri. Præstat mori,
Inferre tumulò dummodo jugalem fidem
A' labe puram liceat. Haud equidem horreo
Quodcumque dirum sit licet, mortis genus:

Hor-

(a) *Lib.* 2. *Reg. c.* 18. 5.

Horresco thalamos. Carceris fœdam luem,
Durosque nexus, verbera, admotas faces
Intrepida patiar. *Sal.* Laudo magnanimam indolem,
Virile pectus laudo. Sed quis te novos
Subire thalamos cogat? *Abis.* Hoc a te malum
Nuper timebam. *Sal.* Fratri ut incuterem metum,
Neve sibi stulte nuptias, quas noveram
Illi cruentas, peteret, innocuo dolo
Primus ego petii: caruit at fructu dolus.
Ber. Curnam cruentas? *Sal.* Reteget ambages sacer
Mentis supremæ Interpres: hinc ambæ simul
Adite Nathan. *Abis.* Nullus est veniæ locus?
Ber. Saulis ægre qui necem quondam tulit, (*a*)
Patiens amatæ sobolis excidium feret?
Audire gemitus videor, & longa atria
Circumvagantem cernere attonitam tui
Genitoris Umbram. *Sal.* Promptus, haud dubito, suo
Perimeret ense Genitor. *Ber.* Haud dubito e manu
Eriperet ensem Bersaba. A te sed nihil
Sperare mater audeo. Ne quid tamen
Tentare negligam, ad genua supplex cado. (*b*)
Sal. Parentis itane filium oblitum putas?
Hac dabitur aura donec ætheria frui,
Tuus ero, memori pectore & nunquam excides.
O si liceret! .. *Abis.* Quis vetat miseris opem
Afferre? Fratri quis vetat? Quoniam at manet
Immota tibi mens; victimam en sisto: hoc caput (*c*)
Cædat bipennis: sanguine haud rubeat tui
Aspersa Fratris, cujus e venis licet
Effusus aram inundet; est sanguis mei
Davidis ille. Conjugi ut parcas meo,
Tuo & Parenti postulo. *Ber.* Oculis vix potes
Cohibere lacrymas: liber erumpat dolor.
Hos sequere placidos, quos amor motus ciet.
Sal. Desinite Abisag, Bersaba ... Haud ego; sed Deus
Votis repugnat. Fratris hic cædem petit.
Adite Nathan (*d*). Concutit venas gelu:
Injussus oculis labitur fletus: premit,
Laniatque corda mœror, At quamvis premat,
Lanietque mœror corda; parendum est Deo.

ACTUS

(a) *Lib.2. Reg. c.1. 16. 17.*
(b) *Illam statim sublevat Salomon.*
(c) *Genuflectit, eamque surgere confestim Salomon jubet.*
(d) *Ambæ vultu mœsto, ac demisso discedunt.*

ACTUS V.

SCENA I.

Adonias Jonathas.

Jonathas faustum occultarum insidiarum successum Adoniæ promittit. Hic erigitur in spem, & epistolam ad Joab perferendam Jonathæ tradit.

Jon. FRontem serena: ponet hæc finem dies,
Cumulumque votis: Ora jam læta indue,
Sortem propinquam quæ decent. Blando excipit
Fortuna te rursum sinu. *Ad.* Hæc summa est: Nihil
Mea regna mediat inter, & mortem. Aut brevi
Fruar secundis rebus: aut mors auferet
Sensum doloris. Sed fruar: læta omnia
Portendit ardor, qui meo insuetos ciet
In corde motus. *Jon.* Ardor idem jam trahit,
Agitatque socios, qui moram hanc valde brevem
Vix ferre possunt: quisque momenta increpat,
Stimulatque precibus. Cursui haud aliter celer
Sonipes paratus, aure micat, artus tremit,
Crinesqne in armos ventilans, segnem tubam
Resona lacessit ungula, & funem impetit.
Ad. Si fuerit orsis exitus par, ut reor,
Nostra hæc Joab, strenuum facti Ducem (a)
Littera monebit, qua arte sit rerum nova
Versanda moles. Ille primo me inscium
Cædis peractæ spargat in populum. Suam,
Quodcumque facinus, si viam ad regnum parat;
Laudem meretur: reprobat at vulgus rude
Vel Regum in aula vitia privatæ domus.
Post longa Procerum vota, simulato genas
Perfusus imbre, fræna popul orum, manu
Regenda capiens, gradiar ad solium piger,
Renuentis instar. Abiathar belli canens
Pericla certa, ac plura prædicens mala
Populo timenda, quæ statim inveniunt fidem,
Cives timore coget impulsos, velint
Præesse ut armis strenuum bello Ducem,
Suetumque Joab barbaras gentes procul

Arce-

(a) *Tradit Jonathæ epistolam.*

Arcere nostris finibus. Multa prece
Tandem id, rogatus annuam. At velox abi,
Stimulosque stimulis adde, ne subeat metus
Propior periclo. (a) ... Tendit huc Salomon, sacram
Aditurus ædem. Graditur obductus gravi
Mœrore vultum: fallere incautos studet.

SCENA II.

Salomon, Bersaba, Abisag, Adonias, Roboam.

Salomon innuit, quæ bona sibi, & regno in solemni sacrificio precari a Deo vult. Adonias intrepidam simulate præferens constantiam, movet ad lacrymas Bersabam, & Abisag, quarum dolorem blandis, & heroieis verbis lenire conatur.

Sal. Pergendum ad aras ... Sed trahit longas moras
Nathan: morandi causa quænam est! Huc ve-
Roboam, celeriter fer gradum ad limen sacrum, (ni (b)
Ibique Nathan conveni, atque ipsum roga,
Quæ causa sit, cur tandiu lentus suum
Ad me regressum differat. *Rob.* Peragam statim
Tua jussa. *Sal.* At aulam repete, quam citius potes (c)
Ego fronte pronus supplice, & fletu madens
Regno precabor pace tranquillos dies,
Segetes opimas, prole fœcundos greges,
Lætosque colles vitibus, placidum mare;
Terræque tractus tabida immunes lue,
Vitiisque populos. Sed mihi ingenium sagax
Rerumque prudens: præmia, & pœnas sciam
Librare ut æqna lance, nec flectam gradum
Ab æquitatis semita, & lucem sequar,
Qua mersa tenebris corda perfundit Deus.
O si rogantis audiat Numen preces!
Abis. Tam justa nunquam vota successu carent.
Ber. Sic memini eburna personans David chely
Orabat olim, sonitus & nostras adhuc
Percellit aures. *Ad.* Precibus ut pondus cruor
Fraternus addat, deserere venas cupit,
Cordisque claustra laxat, indignans moras.
Sal. Ah sero nobis cognite, ah Frater ... Sed heu!

K De-

(a) *Discedit Jonathas*
(b) *Vocatus accurrit.*
(c) *Roboam discedit.*

Desunt dolori verba. Vos, o vos quibus
Nathan reclusit ordinem rerum, vices
Supplete nostras. *Ber.* Flere nos potius decet.
Abis. Tua flenda nulli sed magis mors, quam mihi,
Unde habuit ortum. *Ad.* Extinctus has etiam sitit,
Poscitque lacrymas David: his etiam Viri
Asperge cineres. Fletui haud hic est locus:
Quorsum hæc doloris signa? Cædendas rigat
Fletu quis unquam victimas? Vitiat Sacrum
Ægre offerentis animus. Hoc rerum in statu
Nil mihi dolendi est causa, nisi vultum rigans
Utriusque fletus. Quassa, præter spem, subit
Quod cymba portum, e turbido emergens mari,
Num flenda res est? *Ber.* Morte præpropera cades,
Ævoque florens, nec gemam? *Ad.* Vixi satis:
Siquid peregi laude dignum: inglorius
Otia secutus si fui, vixi nimis.
Abis. Cohibere lacrymas nequeo. *Ad.* Abisag, Bersaba,
Desistite: armis hisce vix ultra potest
Obstare virtus. Sinite quod rursum rogo,
Ut nulla turpet macula morientis decus,
Nullusque sensus degener cogat meum
Nutare pectus ... Protrahi at luctum piget.
Ultra quid horas trahimus? Occasum petens
Sol auget umbras: perge Rex: lætus sequar.
Roboam en regreditur. Frater amplexu frui
Da mihi supremo, Vive tu nostri memor,
Diuque felix. *Sal.* Pectori hærebit tui
Vivax imago, nulla quam perimat dies,
Spargamque mœstus, quandiu vivam, tuum
Ferale bustum lacrymis. *Ad.* Salomon vale:
Valete Abisag, Bersaba [ad regnum vocor:
Jam sceptra teneo]



SCENA III.

Salomon, Bersaba, Abisag, Adonias, Nathan, Roboam.

Regem festinantem Roboam detinet, non levia proditionis indicia detegendo. Adonias ut suos dolos tegat, paratum se offert ad comprimendam seditiosorum audaciam. Salomon ad consilium capiendum tempus poscit.

Bob. REprime festinos gradus:
In tempns aliud differ indictum Sacrum.
Sal. Quænam morandi causa? *Rob.* Quam minime putas.
Rex metue. Joab genibus innixum ad latus
Aræ sinistrum nuper aspexi: se ibi
Putat esse tutum. Ab æde sacra non procul
Circumvagantes milites vidi, sed hic
Sparsos, & illic. Suspicax oculus, color
Subtristis oris, cautus incessus, satis
Clare indicabant pectore illorum tegi
Crudele facinus: quidquod injecta super
Clamyde tegebant arma? *Ad.*[Me miserum] *Ber.*Meum
Cor trepidat anceps. *Rob.* Vix brevem patitur moram
Res hæc pericli plena *Nat.* Reclusit dolos
Tua qui potenti sceptra custodit manu,
Ut tibi, tuoque consulas regno statim.
Ad. Cur dubius hæres? Vindicis prompte in reos
Agam ipse partes, & fore ut pœnas luant,
In me recipio: comprimam dicto ocius
Turbam rebellem. Munus hoc, supplex peto
Committe Fratri; bella quod movi, meo
Ut siqua labes nomini insedit, tibi
Vitam tuendo, deleam. Quod si ruens
In perduelles, ense confossus cadam;
Ab hoste perimar, nec tuam aspergat manum
Fraterna cædes. *Sal.* Consilia, prout res feret;
Matura capiam. Non adhuc quidquam aggredi
Me patitur anceps crimen, & rerum bene
Caligo nondum excussa (*a*) Paucis te volo. (Comes
Vos hinc abite. (*b*) *Ad.* [Nulla spes superest] (*c*) *Ber.*

(a) *Dirigit sermonem ad Nathan.*
(*b*) *Jubet ut discedant Adonias Bersaba, & Abisag.*
(*c*) *Discedit Adonias.*

Mihi esto Abisag, queis premor, tecum mihi
Dividere curas liceat. *Abis.* Ac tecum meas. (*a*)

SCENA IV.

Salomon, Nathan, Roboam.

Salomon auditis Nathan consiliis mittit Roboam cum militum cohorte, eique præcipit ut Joab etiam prope aram, eosque omnes, qui contra obstiterint, interficiat.

Nat. OCcurre morbo, & ulcus ad vivum cito
Reseca, medentis irritus ne sit labor,
Postquam abiit in venas lues: hydræ caput
Gladio recide: nam statim moles iners
Collapsa reliqui corporis terram premet. (fidem
Sal. Huc aliquis. *Rob.* En adsum: impera. *Sal.* Veterem
Nunc posco Roboam. Militum agmen expedi:
Linguam coerce. Joab aggredere illico
Ipsam sub aram: pereat, & culpæ comes
Siquis resistit, sit comes pœnæ. At prius
Præeuntis instar Regis adventum, vias
Occlude crebro milite, ac turbas cave.
Exequere jussa: adiunget operi non parum
Pretii, celeritas. *Rob.* Ne careat hac laude opus
Enitar, actæ nuntius cædis brevi
Ad te redibo. (*b*) *Sal.* Monita suprema exequi
Patris statueram, multiplex postquam Deo
Cecidisset hostia: at recens casus moras
Non patitur ullas. Frater, ah nollem ut foret
Sceleris pudendi conscius! *Nat.* Merito id times,
Regnare cœpit. Quisquis imperii semel,
Sceptrique dulces sensit illecebras, jugum
Servile renuit. *Sal.* Cur novos addis metus
Mihi jam timenti? *Nat.* Corda percellunt minus
Prævisa jacula. *Sal.* Fors Joab cum sciat
Suum esse proscriptum caput, sibi consulit,
Agitque caute rem suam, postquam audiit,
Rediisse Fratrem in gratiam mecum. Illius
Famæ ergo parcens, Numini morem geram,
Crimenque reticens, si quod est, Fratrem offeram
Mactandum ad aram. *Nat.* Labis expertes amat,
Poscitque Numen victimas. Partes Rei

Agat;

(*a*) *Ambæ simul discedunt.*
(*b*) *Discedit.*

Agat ille, gladio sceleris in pœnam cadat.
Hæc mens supremi Vindicis. *Sal.* Non dum patet
Crimen. *Nat.* Patebit sed brevi: hoc, sponte,& volens
Reus ipse clare reteget. *Sal.* O utinam diu
Nescire liceat! Interim ancipiti in via
Ne dubius errem, quod mones, prompte exequar. (*a*)

SCENA V.

Nathan, Bersaba.

Bersaba territa ob paulo ante auditam narrationem periculi filio suo Salomoni imminentis, multa sciscitatur ab ipso Nathan: Hic felicem rerum exitum ipsi innuit.

Ber. TOrpens metu, rigensque vix compos mei
Sum, loquere Nathan, profer in lucem mala,
Quæ certa timeam. *Nat.* Jam patent. *Ber.* Sed rex in
Anceps tumultu quid parat? quò nam sagax (hoc
Consilia vertit. *Nat.* Regis in tuto est salus,
Regnique: ad illam profuit multum, latens
Novisse vulnus. *Ber.* Fratris an dubia est fides?
Menti recursant odia, bellorum faces
Nuper repressæ, cor ferox, animus tumens,
Suique fidens. *Nat.* Quod times, certum puta.
Interius ardens febris, exterius genas
Pallore maculat: crimen occlusum sinu
Diu latere nescit.. At dubio gradu,
Vultuque subit Adonias. *Ber.* Versat dolos,
Fraudesque mente.

SCENA VI.

Bersaba, Natan, Adonias.

Adonias, ut reorum mos est, an aliquid ultra deprehensum sit sciscitatur, ut inde eruat, an de ipso aliqua suborta sit suspicio. Nathan & Bersaba generatim, ac verbis ambiguis respondent.

Ad. PAtuit an crimen satis?
Patuisse opinor. Quot reos ultra datum est
Retegere? *Ber.* Caute transigi causam decet.
Possunt perinde consilia propera, aut nimis

(a) *Discedit.*

Protracta obesse. Sed brevi, ut prudens reor,
Retegentur alii *Ad.* Fama de me quid refert?
Socium putari criminis nollem. *Ber.* Haud scio
An particeps sis sceleris alieni, an secus.
Humana mens impervia anfractus habet,
Suasque latebras: Melior est judex sui
Sibi quisque. *Ad.* Miror! dubius hic quorsum attinet,
Variusque sermo? Te piget, nosco, manus
Tendere jacenti, ut cœperas. Sed quod miser
Jacere cogar, causa tu es: siquidem tuis
Sua sceptra debet imperans Frater dolis.
Ber. Sua debet ille sceptra, cui debet Saul,
Cui David: etenim qui suum populum regant,
Deus ipse Reges statuit. At reditus manet
Meos Abisag. Certa tibi forsan dabit
Responsa Vates (a) *Ad.* Loquere quid rerum imminet?
Quousque patiar protrahi optatam necem?
Nat. Quousque Frater jusserit. Facile est tibi
Adire Fratrem. *Ad.* Forsitan pœnas luit:
Dux perduellis. *Nat.* Forsitan non dum luit:
Rex scit. Morari non mihi ulterius licet.
Aliò Sacrorum cura me absentem vocat (b)
Ad. Magis, magisque timeo, ne cedat male
Mihi res. Initia infausta portendunt parem,
Similemque finem. Sed quis insuetus timor
Mea fero pulsat corda? Jam solvi ratem:
Quocunque me ira, quo dolor, quo spes ferent,
Progrediar audax. Sustulit vindex manus
Fortasse paucos, ut reor, socios doli:
Latuere plures. Primus aggrediar tuum
Tyranne pectus: usum in hunc mihi brevem
Gladium paravi. At en adest: Instat Sacrum.



SCE-

(a) *Discedit.*
(b) *Discedit.*

SCENA VII.

Salomon, Bersaba, Abisag, Nathan, Adonias, Roboam.

Roboam mortem Joab nuntiat: epistolam ab Adonia ad Joab missam Solomoni legendam tradit. Adonias furibundus discedit, & pugione, quem contra Fratrem paraverat sibi vulnus infligit: illum deinde Roboam jussu Salomonis interficit. Demum Nathan multa Salomoni gloriosa prædicit, demum obscure, & paucis verbis innuit ipsius amorem erga Mulieres alienigenas, & idolorum cultum.

Rob. MEritas Joab morte jam pœnas dedit.
Illum legentem epistolam hanc ferro occu-
Stravi imparatum. Pœna non impar, doli (pans (a)
Socios peremit; nosse sed paucos datum est.
Abis. Si forte vivus aliquis in nostras manus
Incidat; ab illo scire reliquos pronum erit.
Ber. Superesse nullum ex hisce perfidiæ reis
Communis interest boni. *Sal.* Ignotos mihi (b)
Vellem esse. Fletu sanguinem effusum hactenus
Diu rependam .. At causa luctus nunc mihi
Nunc major instat .. Paginam hanc Fratri exhibe (c)
Sit ipse sceleris testis, & judex: legat.
Ad. [Superest quod unum, moriar intrepidus] Mea
Conscripta, fateor, pagina hæc fuit manu.
In te latentes, fateor, instruxi dolos,
Centumque fortes militum armavi manus.
Concidere ad aras ipse debueras tuo
Mersus cruore. Poterat offerri Deo
Nil æquiori jure, vel gratum magis, (tamen
Quam mors Tyranni: cœpta nec reprobo. *Sal.* Hæc
Reprobanda quam sint, ultor ostendit Deus.
Ad. A vero aberrat, facta ab eventu putat
Quisquis notanda: sæpe pejori favet
Fortuna causæ. Statueram hoc stricto tuum (d)
Mucrone pectus aggredi: aggrediar meum:
Ber. Gelido timore exhorrui. *Abis.* O sævum caput!

(a) *Tradit epistolam Salomoni.*
(b) *Post lectam epistolam.*
(c) *Dat epistolam Roboam, ut illam Adoniæ tradat.*
(d) *Exerit pugionem, & furibundus discedit.*

Ad: Moriar (a) Flagella sed manu quatiens, Stygis
Feralis umbra murmure horrifico petens
Mihi rapta sceptra, tibi premam assidue latus.
Sal. I sequere, Roboam, Fratris & jugulum fode. (b)
Innatus horror obstat: at Numen jubet.
Nat. Ambitio demens omne molitur nefas,
Jus omne violat. Esse vix illum putes
Hominem, cupido cujus in venis flagrat
Homines regendi. *Rob.* (c) Vulnus inflixit sibi
Lethale vulnus, cecidit: accurrens peto
Adhuc loquentis guttur: extrema hæc fuit
Vox illi ... Abisag. *Nat.* Placida compescat quies
Regalis æstum pectoris. Tibi jam nihil
Superest timendum: Rex eris, felicior
Quo nemo clavum postea imperii reget.
Tibi plaudet Orbis: quidquid arcanis tegit
Natura latebris, tu scies: claras opes,
Aulæque cultum cernet attonitis Arabs (d)
Defixus oculis; regia at claudet domus
Nil Rege majus. Tuque Solymorum potens
Urbs aucta celsis molibus, te circumagens
Lumina, vetustæ indicia vix formæ, diu
Mirata nosces. Sed mage hærebis stupens,
Cum grande templum, dives, augustum, Deo
Centum columnis surget innixum. *Ber.* Mei
Gaudete cineres Conjugis. (e) *Nat.* Templi tholus
Radiabit auro: cedrus artificum manu
Cælata circum vestiet sacræ domus
Intus parietes: dives at fuerit licet
Materia, cedet operi. In ipso anceps diu
Hærebit oculus limine: ad cælum efferens
Frons prima late cincta porticibus caput,
Proludet ædi: quisque quot claudet sinu
Magnifica moles undique aggestas opes
Naturæ, & artis, tacitus ex prima statim
Facie æstimabit. Quantus o scalpri labor,
Aurique fusum pondus aram, atque intima
Ornabit adyta! Grata pro meritis vicem

Re-

(a) *In ipso discessu se vertit ad Salomonem & ipsum alloquitur.*


(b) *Discedit Roboam.*

(c) *Redit Roboam, & Adoniæ mortem narrat.*

(d) *Lib.3. Reg. c.10. 1. & seqq.*

(e) *Alluditur ad desiderium quod habuit ædificandi templum. Lib.3. Reg. c.8. 11. & Paral. c.24. 1. & sequen.*

Religio reddet: Namque si bellum geras;
Lituis ciebit ipsa belligeros Viros,
Afflabit ipsa ratibus. At pacem colas
Si post triumphos, plaudet, ac lætis sonis
Hymnisque sacris coget assyrios procul
Resonare colles. Aurea retrorsum fluet
Ætas Avorum, te auspice, antiqua & Fides,
Justitia, Pietas, omnis & Solymam incolet
Delapsa summo ab axe virtutum cohors..
Sed cave, ne amoris æstus impurus, simul (a)
Sacrilega thura accendat, atque iram Dei.
Sal. A quo cavere debeam hoc ingens malum
Da nosse Nathan. *Nat.* Tempore id nosces suo,
Cavere & utinam detur! At segnes quid hic
Quid plura fando trahimus ulterius moras?
Jam sol in æquor properat: ultra non licet
Differre Sacrum. *Sal.* Age ergo, tu Nathan præi:
Ducem sequemur. *Nat.* Tutor est Regum Deus,
Pietate vera si Deum Reges colant.



(a) *Alluditur ad idola, quæ Salomon amore Mulierum alienigenarum coluit.*

MATHATHIAS

TRAGOEDIA VII.

ARGUMENTUM.

Hierosolyma ab Antiocho capta, ferroque, & igni vastata, Mathathias, ejusque filii in montem Modin secesserunt: quo cum pervenisset Minister a Rege Antiocho missus, ut eos, qui illuc confugerant, Diis gentium immolare cogeret; Mathathias nec blanditiis, nec minis flecti ulla ratione potuit, ut ab avita, sanctissimaque Mosis lege, ne latum quidem unguem discederet. Quin Judæum quendam Idolis coram populo sacrificantem, ipsumque Regium Ministrum sacrilegi sceleris auctorem strenue trucidavit, ut habetur ex lib.1. Machab. cap.2. *Hoc fundamento historico præjacto, fabulæ texturam subnecto.*

Judæus ille ex sacra historia a Mathathia trucidatus, Jonathæ ejusdem Mathathiæ filii natu minoris, quem parens impensius amabat, Altor, morumque Institutor dolis Regii Ministri corruptus eò operam, fraudemque omnem confert, ut nempe Mathathiam saltem ad sacrilegi cultus simulationem inducat. Hoc pretio vitam Jonathæ, qui ob puerilem cujusdam ex Regalis Aulæ Proceribus Mosaicæ Legis irrisoris aggressionem apud Regium Ministrum, in libera custodia habebatur, Mathathiæ redimendam proponit. Quod cum eventu careat, novo artificio Jonatham à vera Religione ad Idola defecisse, & in solemnioris Sacrificii imminente celebritate Idolis sacrificaturum Parenti, per summum nefas comminiscitur; atque adeo opus esse, ut ipse coercendi ergo suo aspectu sacrilegam Jonathæ audaciam celebritati intersit. Proditor enimvero in animum induxerat suum, eamque in sententiam Regium Ministrum pertraxerat, fore, ut Mathathias filii sui caput gladio supponentis luctuoso perculsus spectaculo, Regi Antiocho ad speciem saltem, morem gereret: aliisque ea, qua apud omnes pollebat auctoritate, ad sacrilegam defectionem incitamento foret, & exemplo. Verum hæ, aliæque hujus velusi consectatrices, quæ interseruntur, fraudes in impii proditoris caput recidunt. Nam Mathathias solemniori Sacrificio, quo Jovi litabatur, aliena fraude astans, & nefariam proditoris machinationem, & filii innocentiam aperte detegit. Demum proditorem ipsum, quin & Regium

gium Ministrum divino correptus œstro, prope Aram interficit, Jovisque simulacrum, omniaque profani ritus monumenta delet, & evertit.

PERSONÆ.

GORGIAS *Regis Antiochi Vices-gerens*

MATHATHIAS.

SIMON.
JUDAS.
JONATHAS.
) *Filii Mathathiæ.*

NACHOR. *Jonathæ Altor, & Custos.*

Scena in Civitate Modin.

ACTUS I.

SCENA I.

Gorgias, Nachor.

Nachor poſt ejuratam Moſis legem, agit cum Gorgia de inducendo Mathathia ad externum ſaltem idolorum cultum, modumque proponit, quo id, ut ipſe falſo putat, facile obtineri poſſit.

Gorg. 
Mnibus eundem, poſtulat regni bonum
Sacrum eſſe cultum, fœdere ut jungat ſacro
Se ſe inter animos Regis, & populi; queat
Nec ſe, ſuoſque ambitio tutari dolos
Sub ſpecie honeſti, obtendere & fraudi, Dei
Verenda juſſa. Quiſque, quam Reges volunt
Normam Sacrorum ſervet. *Nac.* Iccirco tuo,
Tuique Regis motus imperio, Deos
Jam thure colui, Numen Iſacidum abnegans,
Moſiſque ritus. *Gorg.* Carus hinc jure es mihi,
Meoque Regi, nec leve obſequii feres,
Mentiſque docilis præmium. At nunc nil palam,
Populoque agendum teſte: magnanimus Senex
Captus doloſis donec illecebris, tuum
Cumulet triumphum. Hic opibus, & verbis potens
Et genere præſtans, lecta quem Procerum cohors
Cum plebe ſequitur, forte ſi veterem exuat,
Ut ſpero, mentem, vulgus exemplo trahet:
Quin imo totum illo Duce Abramidum Genus
Noſtras ad aras genua ſubmittet Diis.
Sic getico in Hæmo, cilicis aut Tauri in jugo
Si pulſa ab Euris fertur in præceps, ſuo
Annoſa quercus pondere; immani ſonat
Fragore, lateque trahit in cladem virens
Nemus omne circum. *Nac.* Hæc una ſollicitum premit,
Meque vigil angit cura. Præmonui haud ſemel
Nimis diſertæ ponat ut linguæ modum,
Acreſque motus cordis adductis regat
Providus habenis. Ille non ægre excipit

Hæc

Hæc tacitus aure: quippe ſincero putat
Profecta ab animo. Primus ad rem, quam cupis
Præjactus eſt hic tempore exiguo gradus,
Cui ſi, quod opto, Sortis aſpiret favor;
Par exitus cœptis erit. Læto omine,
Quam prima gignunt auſpicia rerum, haud ſolet
Spes eſſe mendax. *Gor.* Precibus evictum infimis
Ad ſana redige conſilia, & operi manum
Adiice ſupremam. Intrepida ſed rigidi Senis
Si mens reſiſtat; alia ſubeunda eſt via:
Propone pœnas, carceris tetri luem,
Crebroque tunſa verbere, & lenta face
Aduſta membra, corpus attritum rotis.
Nac. Migrabit aliò cardine evulſus ſuo
Hic potius orbis, retro quam vertat pedem
Timore adactus, nulla qui metuit mala,
Et mage timenda fronte porrecta ſubit:
Quin & laceſſit. Non diu cæſus flagris,
Non latera ſectus forcipe, artuſque æneo
Laniatus ungui, ſilice quæ putat, ac rudi
Exciſa trunco Numina invitus colat.
Gorg. Nihil timentem capere pollicitis ſtude:
Sponde obſequenti quidquid optandum eſt magis.
A Rege primus, pacis, & belli arbiter
Regi aſſidebit propius: id certo fore
In me recipio. *Nac.* Hæc Inclyti ſpernit Viri
Magnanima virtus, in bonis numerans nihil
Breve, & caducum. *Gorg.* Habenda ſi eſt dictis fides;
Quænam pateſcit rima, quam jactas, ſpei?
Nac. Hæc una: flagrans nempe amor, quo filios
Proſequitur; omnes quippe præclaros Patris
Mores ſequuntur: ſicque vix ſimilis ſibi
Pater eſt, ut illi quiſque. *Gorg.* Itaque blandis dolis
Aggredere patrium pectus: eloquio haud leve
Pondus amor addet. *Nac.* Minimus ex quinque in tuam
Si fraude, vel vi poſſit adduci domum;
Tunc nos futuros compotes voti reor.
Ut moris eſt, hunc Genitor ante alios amat:
Potire Nato; non ſuum ad morem ſtatim
Componet ille ſe ſe, & impulſus metu
Alloquia ſupplex poſcet. Hac coges via
Servire ſaltem tempori, & ſpecie tenus
Superis litare. Ut reputo, ſi id ſaltem obtines,
Confecta res eſt; cum diu a lapſu pedem
Suſtineat ægre, quæ labat virtus. *Gor.* Loqui

Quid

Quid plura pergis : Satius eſt ad rem illico
Conferre verba . *Nac.* At interim Moſis ſacra
Jam me abdicaſſe jura ne retegas , cave .
Quantum id latere interſit , ut ſibi me intimum
Habeat , mihique ut ante , ſua credat Senex
Conſilia , nemo non videt . At ecce huc gradum
Accelerat (*a*) . *Gor.* Abeo : ne tuæ parcas rogo
Ignavus operæ . *Nac.* Haud vota remorabor tua (*b*)
Me colloquentem vidit , alloquio hoc ſuper
Non pauca rogitans , mihi viam ad cœptos dolos
Aperiet ipſe .

SCENA II.

Mathathias , Nacor .

Capta occaſione a Mathathiæ obiurgationibus Nachor benevolum Gorgiæ animum erga Mathathiam , filioſque ſimulate exaggerat , eo conſilio , ut Mathathiam ad Gorgiæ votis indulgendum adducat .

Mat. OBſtupeo! (*a*) Quorſum fœdus hoc ſpectat novum?
Quorsum nova hæc alloquia ? Vix hoſtem ſatis
Cavet ille , qui ſemper cavet . *Nac.* Parce his Ducem
Dictis probroſis carpere . Hoſtem ne voces
Cujus ope , nec vana puto , Superi te volunt ,
Natoſque ſalvos , *Mat.* Sancta me in primis Dei
Lex tangit , & honor : huncne ſervabit , ſacram ,
Qui ſpretor ædem polluit , quique impudens
Non fraude , ut ante ; ſed palam aggreſſus , decus
Sionis omne vertit ? O noſtræ potens
Tutela gentis , Summe regnorum Arbiter ,
Portenta renova , quæ ſtupuit olim immemor
Pelagi , ſuique Nilus . *Nac.* Hæc peragit Deus
Rebus in egenis , ferre præſidium nequit
Inferior ubi Natura : Si vero queat ;
Sinit ille ſtabili lege terrenas vices
Fluere , nec aliter , aſtra quam nutu regens ,
Pronumque rerum temperans curſum , gradu
Elevat ab imo , qui jacent . *Mat.* Quidnam ſpei ,
Vel unde fulget ? *Nac.* Ante , quam doceam , rogo
Ne fama inani captus , indicta velis

Dam-

(a) *Innuit Mathathiam venientem .*
(b) *Gorgias diſcedit .*
(c) *Ironice .*

Damnare causa, Gorgiam. Hic falsos Deos
Colit: paternus namque puerilem statim
Mentem occupavit error, haud equidem nego;
Tamen fatetur, quem Deum Isacidæ colunt,
Dignum esse cultu, & vivere Abrahamo satos
Ad normam honesti: quin tuos mores amat,
Tua facta laudat, intimos Regi tuos
Cupit esse Natos. Interim solum petit,
Ut ora frænes, Sacra nec amaris jocis
Aliena carpas, nec palam illudas Diis.
Quod si rogare liceat ... at frustra loquar.
Mat. Ambage missa loquere: cur anceps times?
Nac. Trepidanter oro, ut thura simulatis Deis
Simulate adoleas. Cultus exterior, nisi
Accedat animi assensio, culpa vacat.
Mat. Mirum, novumque, te meam astrictam fidem
Vero, ac potenti Isaci, & Abrahami Deo,
Tentare dictis! *Nac.* Forsan auditum voles,
Audire quod nunc renuis. *Mat.* In turpe hoc putas,
Me posse labi crimen? *Nac.* Id crimen puto
Deserere Patriam, lapsa, quæ tecum trahet
Præceps ruinam, posteris linquens, sui
Nil ultra inane nomen, ac fœdam struem.
Quidquod ruet te conscio, auctore, auspice?
Nam qui cavere Patriæ cladem potest,
Nisi cavet; infert. *Mat.* Diruta incursu hostium
Ruat illa potius: recidat in priscum chaos
Hic potius Orbis, quam sacro falsos Deos
Honore digner. Poscit hunc tantum sibi,
Consortis expers, terræ, & astrorum unicus,
Omnia gubernans Rector. *Nac.* A quo sed petet
Excisa ferro, & igne si jaceat Sion,
Templique moles, Gentis & nostræ super
Vix sit, jacentem qui fleat? Quis tunc dabit (satis,
Thura, vel ubi? *Mat.* Et adhuc pergis? *Nac.* Indulsi
Superque amori. Veniet infelix dies
Quo te ista tangant dicta. Nunc siquid vetus
Amor meretur; parce fidenter nimis
Tecum locuto. Cura Patriæ, qua premor,
Tuæque Stirpis, clausa damnoso metu
Reclusit ora. Tacitus at posthac feram
Utramque perimi; nec loquar, quamvis tui
Hæres amoris ultimus, blandus Puer,
Fratrum secundus nemini, his quem non semel
Ulnis recepi, quem diu institui, trahat

Ser-

Servile vinclum, quodque metuendum est magis;
Cæsus inhonoro vulnere, hostili cadat
Plaudente turba. *Mat.* Desine agitatum, novis
Gravare curis pectus. Anticipat mala
Timor malorum... *Nac.* Jonathas stricto subit.
Huc ense.

SCENA III.

Mathathias, Jonathas, Nacor.

Jonathas narrat parenti suo Mathathiæ habitam cum quodam ex Antiochi Proceribus de religione contentionem, in qua ipse puerili ardore abreptus, in Adversarium legem Mosis irridentem, districto gladio irruerat. Mathathias mandat, ut in montana castra, ubi Fratres morabantur, Nachor Duce, se recipiat.

Jon. Genitor, pectus incendit tuum
Si prisca virtus, prisca si pietas; statim
Arma cape. *Mat.* Quænam causa? *Jon.* Non ultus probrum
Satis ipse, dextram posco, quæ meritas petat
Ab hoste pœnas. *Mat.* Hostis ecquis? Quid novi
Stimulavit iras? *Jon.* Multa cum patrium ad latus
Virtutis habeam exempla, properabam celer
Ad te regressum. At en mihi aspectu gravis,
Vir ante nunquam notus, occurrit. Prius,
Ut fit, rogare multa: quem colerem Deum;
Quibusve Sacris? Genere quo natus? Dein,
O grator, inquit, assecla es Mosis, tulit (a)
Qui jura, gemino in lapide cælata, e jugo
Minacis Horeb, non bene audita, ut puto,
Tonitrus tot inter: quique limoso e lacu
In arma ranas movit, & culicum tubas
Cecinisse bellum jussit. Æstuans ad hæc,
Culices, reposui, non tot Ægyptus, putres
Ranasque timuit, vestra quot regio colit
Millia Deorum, quorum hic haud æquo pede
Incedit ægre: hic ventre distento piger
Palustris anatis simulat incessum: sua
Prospectat alter terga, quod mostrum biceps
Stupeat popellus: alter hortorum rudis,
Fœdusque custos arcet infestas procul
Volucrum rapinas: ille mancipium gulæ,

Fur

(a) *Ironice.*

Fur ille, & ille lurco .. Sed non hic vacat
Referre plura. Quod rei caput eſt, flagrans,
Iraque tumidus, ſcommata hæc, torve intuens
Sic ille retudit: itane tot nugas blatis
Puelle vecors, turpe verporum genus?
Vix ea: repente cuſpide educta irrui
In hæc loquentem, qui ſtatim eluſit fugâ;
Spretuque vertens terga, conatus leves
Puerilis iræ. Nunc tuum eſt forti manu
Exigere pœnas. *Mat.* Diſce nil temere aggredi,
Subitoſque motus frangere. Haud ſervat gradum,
Nomenque virtus, cauta ni ſervet modum,
Quem ratio ſtatuit. *Jon.* Ferre debueram ſilens,
Repetita probra? *Mat.* Injuriam præſtat pati,
Quam facere. *Jon.* Palmam Moſis irriſor ferat,
Abeatque inultus? *Mat.* Verba fas tantum fuit
Verbis refelli; parcere at ferro manum.
Nil nunc loci eſt ſocordiæ: inſidias cave.
Omnia licere victor in victos putat.
Jon. Gladio cavebo mihimet, ut potero. *Mat.* Sibi
Juvenile vitium eſt fidere, & nimium ſpei
Laxare habenas. Plura quam quæ nunc times,
Timere diſces: potius o utinam meo
Diſcas periclo, quam tuo! effugium patet
Nunc tibi, quod unum, monte in adverſo pete
Fratrum propinqua caſtra, quæ nemorum tegit
Caligo circum, illic brevi aſſueſces pati
Martis labores, nomen, & cultum Dei
Diſces tueri. Pignus hoc Nachor, tuæ
Committo fidei: te duce incolumis ferat,
Quo jubeo, greſſus. *Nac.* Obſequar juſſis [cadit
Quam commode res.] *Mat.* Ore nil tibi excidat,
Pueri quod animos frangat, inviſos minus
Vel reddat hoſtes. *Nac.* Sponte currentem, novis
Urgebo ſtimulis. *Mat.* Patris amplexus cape: (*a*)
I, ſequere Fratres. *Jon.* Reditus at liceat. *Mat.* Redi
Tonantis ultor. *Jon.* Morte vel propera cadam,
Vel ſic regrediar. (*b*) *Mat.* Nunc tua, o rerum Potens,
Pietas vetuſtum renovet exemplum. Puer (*c*)
Per te triumphet: hoſtis iratus fremat,
Pudeat & illum vinci ab imbelli manu.

ACTUS

(a) *Amplectitur Jonatham.*
(b) *Diſcedit cum Nachor.*
(c) *Alluditur ad certamen, in quo David interfecit Goliath, & de Philiſthæis triumphavit lib. 1. Reg. c. 17.*

ACTUS II.

SCENA I.

Mathathias, Judas, Simon.

Simon, & Judas Jonathæ Fratres certiorem reddunt Mathathiam de exercitu in dies aucto: de Jonathæ vero adventu, imo de profectione, nihil se scire Mathathiæ interroganti respondent: quamobrem hic ancipiti timore agitatur. Colloquentes prodeunt.

Jud. EXigua quondam turba nobiscum latens
Abrupta in arce, militum accessu in dies,
Adaucta numero, ferre detrectans moras
Jam spe triumphat, quique concursant, timor
Percellit hostes. Parvus alpino e jugo
Sic qui fluebat rivus, hyberna nive
Quam tepida solvit aura, vel pluvio tumens
Cælo, furenti murmure exitium ultimum
Intentat arvis: hæret aspectans procul
Sine mente pastor, jamque præcipitem intuens
Pallet colonus. *Mat.* Non adhuc claustra invia,
Utrinque scopulis clausa, quòque hostis nequit
Inferre gressus, deserant. Cum res petet,
Suique placiti Numen indicium dabit,
Tunc poterit acies ruere montano e jugo
Torrentis instar premere & Antiochi inscios,
Atque imparatos milites. *Sim.* Nimis arduum est
Cohibere se, cum pectori subdit faces
Cupido flagrans, ense communem Deo
Causam tuendi. Nostra quos gens jam tulit
Memorat triumphos quisque, virtusque ut jacens
In corda rediit, clade non una satur
Cum fureret Amalech, fureret aut palmis tumens
Chananæus audax: cæsa quin læto exitu
Ducum superba capita fœminea manu
Menti recursant. Hoc pari rerum in statu
Præsto futurum nemo diffidit Dei
Ultoris ensem. *Mat.* Criminum at venia est prius
Roganda fletu: hæc nanque si populus fleat;
Jam prona in ictum tela sint quamvis, statim
Remittit arcum, criminum oblitus Tonans.

Ni-

Nihil deinde ſpe levi, aut famæ, aut lucri
Audendum in hoſtes, ſæva nec mentem trahat
Libido cladis, ſpectet huc belli labor,
Nempe ad vetuſta Sacra reparandum, ut decet,
Templique honorem. *Jud.* Hæc cauſa pugnaces movet
In arma dextras: pectus hæc ſtrictis jubet
Nos ferre gladiis obviam. *Sim.* Hac motus, vadis
Effuſa ſtygiis monſtra ſi contra ruant;
Nil monſtra timeam. Militum impavidos agit
Idem ardor animos. Timeat an pugnæ aleam
Quiſquam ſubire perbrevem, æternus manet
Quem poſt triumphus? quique ſtelligera comas
Lauro revinctus, victor, aut victus, Dei,
Cui ſervit uni, pariter amplexus feret?
Mat. O grande columen Patriæ, o ſpes, o meæ
Robur ſenectæ, pergite his cœptis. Canit
Quæ fama, non falſa auguror, per vos retro
Celeri regreſſu, priſca cæſorum hoſtium
Opulenta ſpoliis ſæcla volventur: vetus
Nomen, decuſque rurſus Iſacidæ ferent.
Fraternæ & utinam laudis imitator puer,
Qui ad caſtra greſſum Jonathas tulit, ſequi
Exempla Fratrum diſcat. Erga illum vices
Supplete noſtras: quippe præſidiis eget
Puerilis ætas. *Jud.* Frater in noſtra intulit
Stativa greſſum? Nil minus. *Mat.* Quid nam audio?
Saltem reducto in calle, qui circum juga
Varie recurrens, mollit abruptam viam,
Dedit ille vobis ſe obvium. *Sim.* Sed ne hoc quidem.
Mat. Omnia timere cogor... En Nachor ſubit.

SCENA II.

Màthathias, Simon, Judas, Nachor.

Nachor, cujus occulto dolo Jonathas in inſidias a Gorgia paratas incurrerat, fraudem ſuam artificioſe diſſimulans, eventum infauſtum Mathathiæ narrat.

Mat. MEus ubi Natus? *Nac.* Verba confundit dolor,
Prohibetque. *Mat.* Magnum eſt, quod lo-
(qui refugis malum.
Sed loquere citius: quid quid illud eſt, feram.
Longo ſuetus tempore ærumnas pati,
Hebeſcit animus. *Nac*: Non mihi, at Puero timens

Resonas vagante plebe cum fugerem vias;
Avia secutus; subitus armorum, & virûm
En sonitus aures pepulit, ut fit, hæreo
Incertus animi. At illico late cohors
Effusa circum cingit amborum latus.
Tunc ambo celeres, aciem in adversam, manu
Gladium rotamus. Nuper ut pulsus leo
Matris cruento ab ubere, oblique intuens
Partes in omnes versat undantes jubas,
Carensque firmis viribus nequeat licet
Morsibus, & ungue frangere obiectas feras;
Tamen lacessit, jamque proludit minax
Olim futuris cædibus: parvus comes
Sic tela, & hostes inter excurrens furit
Mucrone stricto, clypeus & quamvis moras
Opponat ensi, fallat atque ictus leves;
Tamen futuri herois in Puero timet
Auspicia victor. Pressa sed tandem fuit
Numeroque virtus obruta, ærumna pari
In vincla trahimur, Gorgias captos tenet:
Huc tamen inermem, sed datis vadibus, mihi
Redire licuit. *Sim.* Quidnam Jonathæ imputant?
Nac. Petiisse ferro, pauca legiferum in Ducem
Qui dicta fudit. *Mat.* O nimis verax metus!
Jud. Illud timendum est interim, ne fraus latens,
Vel spes, metusve Jonatham cogat Deûm
Simulacra colere. *Mat.* Stirpe de nostra est Puer.
Pudet hoc timere. Pectori robur novum
Adiunget ille, cujus offensi decus
Sustinuit ense. *Nac.* Puero ut assistam, gradum
Liceat referre. (a) *Sim.* In cardine hoc rerum est opus
Repetere castra, cogere & fortes Viros
Ruere paratos, siquid inopinum accidat,
Opemque ferre. *Jud.* Te sequor. *Sim.* Genitor vale. (b)
Mat. Mens hæret anceps. Si velim armata manu
Repetere Natum; illius in jugulum irruens
Prævertet arma lictor: illum si velim
Redimere; turpi scelere libertas erit
Emenda: nanque thura futilibus Deis
Poscet, ut adoleam Gorgias. At nunquam erit,
Tam fœda labes maculet ut nostrum Genus.
Innocua, siqua potero, prout se res dabit,
Consilia capiam. Cælites, vestram fidem
Imploro supplex.

SCE-

(a) *Discedit.* (b) *Discedunt.*

SCENA III.

Mathathias, Gorgias.

Gorgias pollicetur Mathathiæ Jonathæ liberationem, si Deos Gentium, quantumvis in speciem tantum colat. Rejectus a Mathathia, ad illius pedes Jonatham adduci jubet, ut precibus Genitorem ad commiserationem flectat.

Gorg. ORA quod subeo tua
Attonitus hæres; sed erit hoc mirum magis,
Me nempe, cujus poscere est pœnas, reum
Cupide tueri. Non id auderem, nisi
Rex ipse, & aulæ nuper offensus Procer
Te nimium amarent. In vado res est: tui
Nil poscit ultra, morte ab inhonora salus
Redimenda Nati, nisi quod ubi signum dabunt
Populo, monentes imminens Sacrum tubæ
Vel semel acerra, quæ recens structa est Jovi,
Venereris aram. *Mat.* Nox prius lucem dabit,
Unda dabit ignem, quam Deo astrictam fidem
Violem sacrilegus. *Gorg.* Ne fidem violes, geret
Quod dextra, munus reprobet antiqui tenax
Mens fida cultus. *Mat.* Non leve est crimen, palam
Simulare crimen. Quidquod exemplo nocens
Populo, execrandi causa flagitii forem.
Sit primus æqui cultor, imperium tenens:
Nanque nisi prava fugiat, incassum vetat,
Reprobatque inani voce, quod factis probat.
Egone tot ante laudibus clarus, meam
Maculem senectam labe, quam non eluat
Jordanis unda, Nilus aut late fluens
Per ora septem, aut mixtus Euphrati Tigris?
Egone colendo ludicrum Numen, patrem
Tot scelera in uno scelere, perfidiæ Ducem
Quot me sequentur? *Gorg.* Crimen ecquisnam putet
Prospicere Natis? Do tamen, crimen putes:
Excusat illud patrius amor. Affert opem
Tigris ipsa catulis, seque venantum obiicit
Furibunda telis. Tuque, quod nemorum feras
Natura docuit, ferre subsidium abnegas
Soboli? *Mat.* Quod agitur, haud semel vitio caret;
Non tamen agendi ratio. Nos porro decet

Vi-

Vitam tueri : at hoſtibus nulli licet
Offerre Patriæ , & civium cladem , ſuæ
Pretium ſalutis: Nemini ut rabidam famem
Saturet , quod ætas priſca patratum horruit , (*a*)
Torrere membra prolis , & feralem iis
Inſtruere menſam . Vana nec pecudum afferas
Exempla , quas cæco impete incurſans fibras ,
Externa rerum impulſio huc , illuc trahit .
Noſtrum eſt honeſtum noſcere , & notum ſequi .
Honeſti at operis deficit totum decus ,
Si peccet aliqua ex parte : ſic gemmæ perit
Pretium omne , quamvis macula nativum jubar
Vel una vitiet . Parce jam fruſtra loqui :
Audire refugit animus . *Gorg.* Hanc ergo vicem ,
Hanc mihi rependis ? Quod Sion , per me , ſolo
Æquata non dum jacuit , Antiochus fremit :
Stat illa noſtro munere : Iſacidas doles
Quod mucro plures jugulat , & plures vorat
Aggeſtus ignis , laniat aut crebro ſecans
Curſu , & recurſu membra , dentatus chalybs :
Alioſque torto verbere impulſis equis
Raptant quadrigæ ; civium ſed pars quota eſt
Quæ morte pœnas ſolvit ? Innumeros neci
Eripui eadem lege , qua vellem tuum
Eripere Natum . Mica ſacrificis focis
Iniecta thuris , victima aut cæſa attulit
Miſeris ſalutem . *Mat.* Crimen o dirum ! o nimis
Crimen pudendum ! Gentis o noſtræ probrum !
Quam ſatius illis fuerat æternos dies ,
Lætoſque ſtabili pace , mortalis ſibi
Parare vitæ impendio ! Heroas puto ,
Quos jam ſolutos corpore excepit ſinu
Progenitor Abram , ob tale ſacrilegum nefas
Dolore , & ira percitos Deum illico
Rogaſſe , jacto ut fulmine opprimeret reos .
Gorg. Itane tuorum ſolus e turba ſapis ?
Mat. Ego te , meoſque futiles quotquot colunt
Deoſque inanes , ſapere plus aliis putem ?
Gorg. Quid plura tecum ? verba nil tangunt rigens
Adamante pectus . Ducite huc Puerum (*b*) Fluens
Per ora Nati fletus optatum ferat
De te triumphum . *Mat.* [Jonathas quorſum ſubit ?
Quid nam rogabit ?]

SCE-

(a) *Lib.*4. *Reg. c.*6. 28.
(b) *Imperat Excubiis* .

SCENA IV.

Mathathias, Gorgias, Jonathas.

Jonathas cum in manu Mathathiæ, sui liberationem positam esse intelligat, supplex ad illius genua se prostrat. Verum audita sacrilegi cultus conditione adimplenda, illico surgit, eamque strenue execrans se ad mortem, & omne tormentorum genus paratissimum offert.

Gorg. GEnibus affusus Patrem
In vota flecte: illius arbitrio tua
Vel vita, vel mors pendet. *Jon.* En supplex manus.
Ad genua tendo. Si quid in me unquam fuit
Dulce tibi: quidquam si merent pietas, amor
Obsequia Nati; munus acceptum semel
Vitalis auræ, rursus acceptum tibi
Referre liceat. *Mat.* Quid rogas frustra? preces
Omitte inanes. *Jon.* Tempore ecquidnam brevi
Peccare potui miser, ut indignum putes
Cui præbeas aurem? *Mat.* An tua in Patris manu
Qua lege posita sit salus nescis? *Gorg.* Satis
Regi est, ut ille mente simulata, Jovis
Veneretur aram: quantulum id sit, tu vides.
Jon. Hac lege? (*a*) Ut ergo perpetrem dirum scelus,
Petitur? perennis utque jactura, hanc emam
Vitam caducam! Morte deterior foret
Pretio hoc redempta. Sævus Antiochi furor
Me contra in unum cogat ardentes faces,
Uncos, equuleos, lora, dentatas rotas;
Nil timeo: perferam omne pœnarum genus,
Mortemque potius, quam scelus jussum Patri
Probem, aut sequar. Nam summus Abrahami Deus,
Terræ, atque olympi regna qui nutu regens
Dominatur Orbi, solem & immotus movet,
Terramque librat pondere appensam suo,
Sibi satis unus, prohibet alienis Diis
Cultum exhiberi, fuerit in speciem licet,
Mendaxque. *Gorg.* Dicto citius, hos animos necis
Propinquus horror franget. *Jon.* Hæc membra, ut libet,
Lacera, perure, distrahe, in partes seca:
Honesta lethi causa, terrorem illius
Absterget omnem. *Mat.* Nate, ut hoc sensu places!

Ut

(a) *Alacer surgit.*

Ut me iste reficit animus ! O quantum mihi
Solamen affers ! esse me miserum nego ,
Hac prole felix . *Gorg.* Pateris e vita eripi ,
Et Natum amas ? Amoris o sævum genus
Deterius odio ! *Mat.* Amare sic virtus jubet .
Gorg. Crudele jussum . Sed quid ulterius moror .
Decreta mors est (*a*) *Jon.* Veniat : optanti dabis .
Mat. I , perge , quo te læta puerorum vocat
Æquæva turba , magna quos vidit Parens (*b*)
Sævos virili corde cruciatus pati ,
Mortemque diram , quosque septenis comas
Redimita lauris , morte sectata est pari
Victrix Tyranni . *Jon.* Cupio Sociorum choris
Citius adesse . At cura me tangens tui
Gressus moratur . Osculum ut dextræ imprimam
Permitte ... *Mat.* Fili ... At impedit voces dolor .
Has cerne lacrymas .. *Jon.* Vale ... æternum vale .

ACTUS III.

SCENA I.

Mathathias.

Falso putans Mathathias Gorgiæ jussu Jonatham fuisse interfectum , illius mortem deflet .

LAceros per artus vita jam forsan specus
Fugit sub imos ... Liceat o Natum sequi ,
Subitoque hiatu terra cupienti statim
Aditum piorum referet ad sedes Patrum !
In me citato se ferat quamvis gradu ;
Mors lenta veniet . Tunc mori decuit , sacros
Cum Solyma ritus coleret , ac templo suus
Esset honor : oculis non tot hausissem mala
Spectator æger : vincla nunc saltem sua
Deponat animus , corporis seque extrahens
Compage , Puero fidus accedat comes ,
Clausa peragranti spatia , quæ sanctis Deus
Secrevit Umbris . Vana sed quænam loquor ?
Licet quod unum , Prolis exuvias legam ,
Oscula & arenis , quas tener pinxit cruor ,
Figam ore cupidus ... Altor huc mœstus subit .

SCE-

(a) *Discedit .* (b) *Anachronismus .*

SCENA II.

Mathathias, Nachor.

Nachor postquam Mathathiam a falsa de mortis Jonathæ filii sui opinione dimovit, ei dolosis mendaciis suadet, Jonathæ constantiam in religione servanda labare: quamobrem opus esse, ut ipse solemni Sacro ad Jovis aram peragendo intersit, suaque præsentia Juvenis temeritatem coerceat.

Nac. HEU sors parentum misera, si natis carent!
Miserior heu, si forte natorum frequens
Circumstat illos turba! Numerosa in domo,
Semper dolendum est aliquid, & nunquam satis
Cautum est in horas. *Mat.* Corda cur torques diu
Ambage vocum? Jam ante, quod frustra studes
Ornare verbis, augur haud fallax sibi
Præcinuit animus. Periit, & gravius quod est,
Fata subeunti nemo solamen tulit.
Me forsan ipsa in morte claudendis brevi
Quæsivit oculis. Non licuit illi dare
Oscula suprema, excipere nec verba ultima
Abeuntis animæ. *Nac.* Vivit incolumis Puer.
Mat. Vivit receptus inter electos choros, (*a*)
Nostrique ridet, luce sincera fruens,
Ludibria mundi. Quæris incassum his dolis
Lenire vulnus. Siqua te pietas movet;
Ad me cadaver affer, aut saltem illius
Meliore clamydem murice imbutam, Tyrus
Quam quem superba jactat. In pretio hoc erit
Mihi dulce munus plus, quam Erythræi maris
Forent lapilli, & quidquid auri Indus fodit
Nuda pharetratus terga. *Nac.* Quid frustra rogas?
Mat. Ipse, ipse pergam (*b*). *Nac.* Siste. An is sum qui fidem
Non merear ullam? Vivit: huc potius tuas
Confer querelas. Vita sibi lacrymas petit,
Non mors putata, qua doles. *Mat.* Ecquid novi est?
Nac. Silere mallem ... Levius est puero nihil.
Mobilior aura fertur huc, illuc: amat,
Odit: pavescit, audet: iratur, statim
Deponit iram. Sole ab adverso trahit

(a) *Accipit verba Nachor tanquam artificiose dicta ad lenimentum doloris.* (b) *Discedere aggreditur.*

Non tot colores Iris, affectus brevi
Quot ille varios induit. *Mat.* Quorsum hæc? Age?
An dubius hærens temporis petiit moram?
An, quod malorum pessimum est, fictos Deos
Honore coluit. *Nac.* Non adhuc: sed ne colat,
Merito timetur. *Mat.* Loquere: quæ causa est metus?
Nac. Statim ac resedit ira, qua posset via,
Consulere Puero, mente secum Gorgias,
Tacitus peregit. Sedit id tandem: in manu
Jonathæ relinquere alterutrum: aut Jovi
Det thura, vesper antequam claudat diem.
(Differre siquidem non licet Sacrum) aut caput
Supponat ensi. Hæc dicta, plus æquo lubens
Excepit ille: redditum est fronti jubar,
Mœrore pulso; quoque propendet magis
Ancipitis animi trutina, compertum est satis.
Ipse sibi plaudit Gorgias: plaudit Duci
Effusa circum turba: Sacricolæ parant
Pæana Divis. *Mat.* Tanta labes, tam brevi
Spatio! Quis unquam thessala ingenium illius
Corrupit arte? Satius ah foret hoc nefas
Morte occupari! quod prius flevi miser,
Nunc opto. Crimen fulmine immisso Tonans
Præverte ... Telum ah siste: quantumvis reum,
Odisse nequeo .. Potius ardorem excita
Æthereum in illo, tactus ad se se redjt
Quo David olim, doluit hinc raptos toros, (*a*)
Doluitque gladiis traditum insontis caput.
Nac. Divina Bonitas precibus hisce aurem solet
Præbere facilem. Cælitum quin me favor
Advexit huc, ut monitus auxilium feras
Jam jam ruenti. *Mat.* Ferre quì possim, doce.
Nac. Pompa ubi sacrifica, murmure & sacro nemus
Resonabit omne, accede quantum fas erit
Propius ad aram. Aut te videns Puer ad bonam
Frugem recipiet se: aut timor certe obicem
Opponet ausis; quippe non illi pudor
Sic periit omnis, facinus ut velit impium
Audere te coram. *Mat.* Adero spectator [simul (*b*)
Sed adero vindex]
Nac. Ibo, qua cœpi via,
Intrepidus, audax. Scelera, qui timide patrat,
Auget, timendo. Quid quod est censor sui,

Et

(a) *Lib.* 2. *Reg. c.* 11. 13.
(b) *Discedens hæc verba profert.*

Et primus ultor, nisi ruat legum immemor,
Præceps in omne crimen?

SCENA III.

Gorgias, Nachor,

Nachor dolum, quo Mathathiam decepit, fructumque, quem levi conjectura ductus inde sperat, Gorgiæ exponit.

Gorg. HIC lente trahis (cro
Moras inertes? Quid rei gestum est? *Nac.* Sa-
Ille aderit. *Gorg.* Euge, qua arte? quo captus dolo?
Nac. Simulans propinquæ mortis impulsum metu
Labare Puerum, spemque nobis non levem
Dedisse lapsus, illico obtinui, ut suo
Illum reprimere vellet aspectu. *Gorg.* At Puer
Aperiet hanc fallaciam, audacter necem
Poscens paratam. *Nac.* Poscat. An credis dolos
Superesse nullos? Sine mora attexam novos:
Rediisse nempe Jonatham ad se se, & vetus
Revocasse mentis robur: hoc titulo mihi
Quin ipse plaudam. *Gorg.* Fiet hinc, Patris ut cadat
Ante ora cæsus. *Nac.* Non id aut exlex Arabs,
Aut sinat Alanus, quique phasiacas bibit
Caucaseus undas Colchus, & Genitor sinet,
Cui dulcior vita est Puer; nec promptam opem,
Quam ferre potis est, afferet? *Gorg.* Gens hæc sibi
Laudi esse censet, vel quod insuetum est feris.
Si vera narrant, strinxit in prolem unicam (*a*)
Abrahamus ensem, prolis & cæsæ sacram
Fœdavit aram sanguine in Patriam redux (*b*)
Post bella Jephte. Hos ille, ni fallor, Duces
Studet æmulari: pectus haud impar fodit
Cupido laudis; renuit hinc ferox suæ
Consulere Soboli: quin mihi occludens viam
Illam tuendi, sprevit impensas diu
Preces, minasque, visus & pene est sua
Traxisse Puerum dextera, insano ambitu
Gladii sub ictum. *Nac.* Audita percellunt minus,
Quam visa sensus. Lictor eductum minax
Gladium coruscet: pronus in genua, ac tremens
Colla Puer aptet vulneri, inque illum emicans

(a) *Genes. c.22. 9.*
(b) *Judic. c.11. 39.*

Dextera rotetur ; Genitor accurret ſtatim
Amore victus , altera & ferrum procul
Manu repellet , altera in ſacros focos
Negata ſparget thura , nec patrius ſinet
Amor , ut vetuſtos pergat Heroas ſequi ,
Quos æmulatur nemo , niſi patris exuat
Amorem . *Gorg.* Adactus at Puer juſſu illius ,
Se proſtret ante aram Jovis ; quid tunc ? *Nac.* Putas
An profore id parum , ante ſimulacrum Jovis
Ut vulgus omne , poſito procumbat genu ?
Puer ipſe tandem ſupplici vultu , prece ,
Lacrymiſque , patrium molliens pectus , ſua
In vota flectet . *Gorg.* En adeſt : refer hinc gradum. (*a*)

SCENA II.

Gorgias , Jonathas .

Jonathas petit , ut ſibi morituro liceat Mathathiæ extremum vale dicere . Id vero , ne fraus Nachor detegatur ſtudet Gorgias impedire fraude omnino ſimili , fingens Mathathiam a vero Deo ad idola defeciſſe .

Jon. VEni huc petitum , petere qnod me nunc decet .
Gorg. Ne ſcilicet tibi irrogem pœnam . At mea
Si iuſſa facias , eſt tua in tuto ſalus .
Jon. Nil tale poſco . *Gorg.* Tempus an pœnæ ut velim
Protrahere ſaltem ? *Jon.* Parva non tanti eſt mora .
Gorg. Quid aliud ergo ! *Jon.* Dicere ut detur Patri
Vale ſupremum. *Gorg.* Do libens .. Sed .. *Jon.* Cur ſiles?
Gorg. [Adhibenda fraus eſt ſimilis] Id ne ægre feras ,
Quod moneo : Sævi Patris occurſum cave .
Jon. Cur mihi cavendus ? cur Patrem ſævum vocas ,
An quia caducam filii cultu Jovis
Redimere vitam noluit ; *Gorg.* Cauſam haud tenes .
Jon. Cur ergo ? *Gorg*: Sileam,an eloquar ? *Jon.* Nimium (hæc mora
Excruciat animum : loquere . *Gorg.* Proh fallax fides !
Nil ſtabile in homine eſt ! Stare quis firmo gradu
Exempla poſt hæc ſperet ? *Jon.* Et quonam tuus
Hic ſermo ſpectat ? Oedipus non ſum . Meus
Quid Genitor egit ? *Gorg.* Didicit edoctus malis ,
Cœpitque ſapere rem ſuam . *Jon.* Spernens Deos
Falſos , & ante ſapuit . *Gorg.* At nunc non ſapit ,
Ut ſapuit olim. *Jon.* Verſa nunquid mens? .. *Gorg.* Prope
Rem

(a) *Diſcedit Nachor* .

Rem tangis. *Jon.* Hanc turpem itane Genitori notam
Inuris? Euro pulsus, aut Borea prius
Procumbet Atlas, quam Vir, Isacidum decus, (est,
Columenque nutet. *Gorg.* Non loquor, nisi quod palam
Positumque in oculis omnium: Nuper Jovem
Honore coluit: populus astabat frequens. (fidem
Jon. An vera, quæ narras putem? *Gorg.* Et, quod vix
Meretur ullam, se Deûm ritu sacro
Addixit aris: Imo nil medium sequi
Suetus ante, jurejurando, negent
Si forte resides thura, vel Natos Jovi
Devovit ultro... At partem in adversam fuge.
En ille properat. Quid tua intersit, vide.
Jon. Mene hinc abire? Si removissem gradum;
Celer huc referrem. *Gorg.* [Mutuo alloquio, dolum
Retegent.]

SCENA V.

Gorgias, Mathathias, Jonathas.

Mathathias, & Jonathas, alter alterum a vera religione defecisse, Nachor, & Gorgiæ fraude decepti, falso secum reputantes, sibi mutuo turpissimam hanc defectionem, ambiguis verbis exprobrant: quæ verba uterque perinde accipit, ac si ipsi, sua in veri Dei cultu, constantia exprobretur.

Mat. PAterna siccine oblitus mei,
Exempla sequeris! *Jon.* Ne sequar, pietas jubet.
Mat. Præclara pietas! (a) Stulte pietatem vocas, (lus
Ausum sacrilegum? *Gorg.* Jurgium hoc quorsum? *Mat.* Sce-
Immane tacitus patiar? *Jon.* At quodnam exprobras
Mihi scelus? *Mat.* Idne poscis? *Jon.* Ah Genitor, malus
Quis tibi, quis error abstulit mentem? *Mat.* Mihi?
Jon. Tibimet: tuumque noscere errorem ut velis,
Liceat rogare: prima nanque ortum trahet
Hinc spes salutis. *Mat.* Jubeo ut agnoscas tuum
Jon. Talia jubenti patere me nunquam obsequi.
Mat. Talia rogantem forsan ulciscar brevi.
Gorg. Audax minaris? *Jon.* Posce, quas pœnas lubet.
Mat. Non ego: Tonantis poscit offensi decus.
Jon. Id nempe curat, futile, & sensu carens, (b)

(a) *Ironice.*
(b) *Ironice.*

Joculare Numen . *Mat.* Siccine hæc audis Tonans ,
Nec tela torques ? *Jon.* Tela quid frustra petis ?
Nil prorsus audit aure , nil oculis videt .
Mat. Sacrilega inultus patiar in Numen probra ? (*a*)
Gorg. Animum furentem frænet Antiochi timor .
Mihi jus in illum Rex dedit . *Mat.* Mihi jus dedit
Natura potior .. Fortibus cœptis amor
Sed patrius obstat . Corda torpescunt gelu ,
Iræque in æstu , dulce mihi quondam Patris
Nomen recursat . *Jon.* Fama , quod cecinit diu ,
Potius recurset nomen : hoc partum tibi
Virtute , virtus servet . *Mat.* Astrictam fidem
Servare Superis , veteris an quidquam potest
Minuere laudis ? *Jon.* Nulla servanda est fides ,
Quam crimen est dedisse . *Mat.* Sic in te pudor ,
Sic periit omnis , esse ut id crimen putes ?
Jon. Quis non putet ? Sed verba quid frustra ? Petam
Lacrymis paternum pectus : ad genua accidam .
Mat. Abi hinc , facesse . Nil erit tecum mihi
Commune posthac . *Jon.* Relligio sit , id rogo ,
Ambobus una . *Mat.* Relege Genitoris vias ;
Erit una utrique . *Jon.* Consilia , Genitor , refer
In melius : una sic erit ; sed quam decet
Utrumque colere . *Mat.* Vocis infestæ sonos ,
Cavere præstat . Non nisi ulturus nefas ,
Ad te redibo (*b*) *Jon.* Si locum in miseros habet
Vel in hoste pietas ; fata mihi propera , flagrans
Ne Genitor ira maculet ultricem manum
Cruore sobolis . *Gorg.* Quem tibi interpres Dei
Natura , morum statuit exemplar , sequi
Nisi piget , ambo te statim Rex , & Parens
Certatim amabunt : ambo te salvum volent .
Jon. His parce dictis . Quod peto , unum est , præveni
Parentis iram . (*c*) *Gorg.* Præter omnem spem , bene
Res cessit : omen capio : felici exitu
Hunc certe , amica , ut spero , Sors claudet diem .



ACTUS

(a) *Manum admovet gladio .*
(b) *Discedit .*
(c) *Discedit .*

ACTUS IV.

SCENA I.

Mathathias, Judas, Simon.

Inter se colloquuntur de Jonathæ, ut ipsi falso opinantur, a veri Dei cultu ad idola defectione. Deinde Mathathias post audita Judæ, & Simonis consilia, animi sui propositum subobscure indicat, imperatque, ut illi cum selectis Viris, ad sustinendum facinus, quod moliebatur, opportune accurrant. Colloquentes in scenam prodeunt.

Mat. O spes inanes! Nuper audacem Virum,
Qui sacra Mosis jura spernentem est minax
Aggressus ense, Gorgia & coram, obtulit
Se se paratum ad omne pœnarum genus,
Qui sprevit infans, antequam nosset Deos,
Pietatem avitam deserens, vanum colet,
Mendaxque Numen .. Gentis o nostræ probrum!
Nostræque labes Stirpis! *Sim.* An dirum in scelus
Sponte ruit? an coactus? *Mat.* Haud culpa vacat
Potuisse cogi: nil id ad causam facit:
Esto coactus cesserit; cessit tamen.
Jud. Ex parte culpam minuit incussus timor.
Mat. Timuisse, scelus est. Stare si per quos potest
Religio, vili corda perculsi metu
Adolent sacrilega thura simulatis Diis;
Spes nulla superest. *Sim.* Forsan ad frugem bonam
Jam se recepit. *Mat.* Si secus sit; quam viam,
Anceps capessam? *Sim.* Precibus, atque auro, ut puto,
Placandus animus Gorgiæ, illius furor
Ne pergat ultra, nec datam injuste fidem
Frangi recuset. Pronus in lapsum Puer
Se sustinebit, sæva si cesset manus
Urgere pronum. *Jud.* Munera, & fusas preces
Eludet hostis. Strenuo incursu aggredi
Opus est, frequenti milite occlusas fores.
Præceps in aulam, me Duce, irrumpet cohors:
Ego ipse, cædes inter, & putres super
Membrorum acervos, dextera apprensum, traham,
Rapiamque Puerum. *Mat.* Nemo consilia hæc sequi,
Nisi nimis audax, pavidus aut nimis queat.

 Lon-

Longe aliud orno facinus *Sim.* Ecquidnam paras?
Mat. Solemne Sacrum, flebile at vobis, fleam
Quod ipse; nisi cruenta mors vitam auferat,
Lacrymasque. Et utinam facinore in medio, diem
Obeam supremum. Mole curarum, & gravi
Pressus senecta, jam fatiscentem ratem,
Et pene mersam cupio, scopuloso e mari
Subire portum. *Jud.* Pessimo hoc rerum in statu
Si moreris; ecquis Patriæ vindex erit,
Nostræque Gentis? *Mat.* Undique oppressum malis
Populum levabit, vindice & dextra Deus
Barbarica frangens vincula eripiet jugo.
Satis hoc, superque in rebus experti asperis,
Diuque fuimus. An Dei est bonitas sui
Oblita moris? Ipse, qui meus est labor,
Turpi medebor vulneri, abstergam notam
Cultus sacrilegi. Movit hic, nostrum in caput
Tonantis odia, causa nec raro fuit
Electa cur Gens sueta cæsorum hostium
Referre spolia, gemuerit duris diu
Astricta vinclis, pacta Victori aut grave
Fuerit tributum. Patuit eventu satis,
Non sinere inultos Numen Abrahamo satos,
Qui ludicros colunt Deos. *Sim.* Sed qua elues
Ratione labem hanc. *Mat.* Mente quid volvam dies
Hæc reteget. Ambos laudis in partem voco,
Operisque socios cupio. *Jud.* Si socios cupis,
Expone facinus, cujus in partem vocas.
Mat. Nescire præstat. Postulo hoc solum, ut sinus,
Tacitoque latebras nemoris insideat gradu
Vos insecuta militum pugnax manus;
Cumque procul, ardens igne sacrifico Jovis
Lucebit ara, protinus velox ruat:
Utque icta cautes fulmine, e montis jugo
Præceps in arva fertur, & secum arbores
Pecudesque raptat, tota sic acies simul
Effusa, timidos Sacricolas gladio petat,
Aras, focosque sternat, & vanos Deos.
Decorare opimis hisce nam spoliis meum
Exopto funus: plus mihi laudis ferent
Sacra hæc trophæa, fixa quam bustum prope
Bellica supellex. *Sim.* Nostra tibi parvi est fides.
Curare patrium funus, id Fratri, id mihi
Solum licebit? *Jud.* Quandiu vita fruar,
Patrem tuebor. *Mat.* Nosco magnanimam indolem,

Fortiaque bello pectora. At præsens dies
Petit, ut procellæ primus obiectem caput.
Sim. Itane recusas? ... *Mat.* Quæ jubeo, vestrum est sequi.
Jud. Efficere nostrum est, Genitor, ut vivas diu,
Diuque jubeas. *Mat.* Rumpite actutum moras:
Abite celeres. *Sim.* Patris immemores vetat,
Nos esse pietas (a) *Mat.* Prolis immemorem, jubet
Patrem esse pietas in Deum. Moriar libens,
Divinum honorem ut tuear, & postquam palam
Documenta dedero, quam sit horrificum nefas,
Punit quod ipse Genitor in Puero, nihil
Quo dulcius habet ... Vulnus o sævum, meo
Lhetale amori vulnus! ... At quorsum id queror?
Sic anime titubas degener? .. Nachor gradum
Ad me refert, re prorsus infecta, ut reor.
Cœpit frequenter Gorgiam postquam alloqui;
Vix nosco in illo, quam diu agnovi fidem,
Veteresque mores.

SCENA II.

Mathathias, Nachor.

Nachor fallaciter Mathathiæ narrans, se frustra laborasse, ut Jonatham ad veri Dei cultum revocaret, fraudem suam promovet, & capta occasione Mathathiæ suadere conatur, ut Gorgiæ votis indulgeat.

Nac. VOta successu carent:
Tenore eodem loquitur, & flecti nequit.
Non terror Orci, amissa non illum movent
Vitæ perennis præmia: & metui, & spei
Audax resistit, medius hinc, illinc mare
Ut frangit isthmus: obstat ut Boreæ, & Notis
Inhospitalis Caucasi immotum latus.
Nunc siqua superest spes tibi, in te uno sita est.
Mat. Nuper paterna monita sprevit. *Nac.* Non tamen
Caruere fructu: plura nam secum tacens
Nunc volvit anceps: sæpe suffundit pudor
Genas loquentis, verbaque abrumpit dolor.
Juvenilis ætas, corde quas curas alit,
Occultat ægre: cautus id longo senex
Addiscit usu. Contumax cum non adhuc
Calluerit animus, intus & sibi exprobret
Mens pavida crimen; posse quis credat, Patre

(a) *Discedunt.*

Audere coram, cujus ultro jam pudet,
Immane facinus? *Mat.* Fallit haud noſtros metus
Spes hæc inanis. Quam viam ingreditur puer
Primis ab annis, calcat hanc etiam ſenex
Nac. O ſi liceret cupere, quod fruſtra times!
Mat. Ubi nutat anceps greſſus abrupta in via,
Merito timetur lapſus. Et credis fore,
Metus ut Parentis, mortis exſuperet metum?
Nac. Veretur ille te nimis: certum eſt, necem
Tacitus ſubibit, ne tuam, venerans Jovem,
Laceſſat iram ... Detur o utinam mihi
Illum tueri ſoſpitem! at ſupereſt nihil
In quo reponam ſpem meam. Heu quondam mea (a)
Cura, & voluptas, nunc dolor, ſævo cades
Transfoſſus enſe, lumina & fruſtra in meo,
Patriſque figes ore, ne tendas manus
Prohibente vinclo! Vel nemus prope adiacens,
Rupeſque circum, & antra morientis ſonos,
Gemituſque reddent: gemere ſed nos haud ſinet
Furibundus Hoſtis. *Mat.* Si pudor, falſo ut putas,
Ad ſana revocet conſilia, ſponte hinc caput
Subiiciat enſi; flebis iccirco? Puer
Nonne ſibi honora morte, perpetuam parat,
Lætamque vitam, & jura longinquo Patrum
Tranſmiſſa ab ævo ſervat, & Cælo fidem?
Non hos in uſus provida indulſit parens
Natura lacrymas. Scelere quod cupiat dies
Protrahere vecors, quod ſtatim ad frugem bonam
Recipere ſe ſe renuat, id flendum mihi,
Et jure flendum ... Cogor at, Nachor, nec id
Auſim negare, quas amor tacite ſtruit,
Cavere fraudes: clanculum hic pectus ſubit,
Ac mollit iras. Sæpe, quod virtus tenet,
Repetere medium conor, at renuam licet,
Illuc relabor, unde contendi prius
Greſſum ut retraherem: varius huc, illuc feror,
Mecum ipſe pugno; frangit hos fluctus tamen,
Subigitque ratio. *Nac.* [Rima, qua ſubeam, patet]
Si fas precari eſt, ſequere Naturam Ducem,
Teneroſque, patrius quos amor motus ciet,
Quos Dacus ipſe ſequitur, & profugus Scythes,
Potanſque Tanaim, caſpium aut pontum accolens
Gens juris expers .. ſequere Naturam Ducem.

Non

(a) *Doloſa verba ad paulatim flectendum cor paternum directa.*

Mat. Non renuo, honeste id facere si possim; sequar.
Nac. Permitte Natum, thura simulato Deis
Offerre cultu. Crimen ecquisnam putet
Simulare cultum, dummodo assensum neget
Mens firma? Tuque Genitor exemplo praei,
Illude Divis: dextera incestos focos
Spargat sabaea messe, sed verum Deum
Mens colat. [Inique, certa res est, hinc mali,
Hinc orta labes] *Nac.* Qid truci vultu siles?
Per te, tuique pignus extremum tori,
Meumque Alumnum, siquis impensus labor,
Est, siqua cura, teneros, ut recti amor
Formaret animos, aemula & virtus sequi
Patrii doceret generis Heroas; tege
Consilia cordis, donec innocuo dolo
Prolem tueri detur. *Mat.* [Ut poenas luat,
Simulare cogor] Quas tibi, Nachor, queam
Referre grates? Alia mihi, Caelo auspice,
Iniecta mens est. *Nac.* Teneo, quod votis diu,
Lacrymisque petii. *Mat.* Quod tenes, longe est supra
Tua vota: sacris thura ut inijciam focis
Tu poscis: at ego majus instauro Sacrum.
Madebit ara victimis, quas ut parem,
Jam pergo velox. (*a*) *Nac.* Attigi summam spei.
Quis me per auras turbo correptum vehat,
Ut citius adeam Gorgiam? O laetum diem!

ACTUS V.

SCENA I.

Nachor.

An omnia parata sint, quae ad solemne sacrificium requiruntur, diligenter explorat, deinde nuncium ad Gorgiam mittit. Haec inter dubitatio aliqua de suae fraudis felici exitu, in ipso excitatur.

ASTANT Sacricolae, floreis sertis nitet
Jovis ara circum, Numen irradiant faces,
Positique poscunt thura crepitantes foci.
Heus tu, celeriter Gorgiam arcesse (*b*).. Interim
Suspensa, laetam spem inter, & tristem metum

(a) *Discedit.*
(b) *Mittit unum ex inferioribus Ministris ad Gorgiam.*

Mens hæret .. Incerti exitus res eſt .. dolus
Ne recidat in me vereor .

SCENA II.

Jonathas, Nachor.

Jonathæ conſtantiam Nachor labefactare conatur. At intrepidus Adoleſcens artes omnes eludit.

Jon. HUC me Gorgias.
Properare juſſit. Optat ut tecum ſoquar,
Verbaque monentis audiam, indictum Sacrum
Dum propius inſtat. *Nac.* Victima ante aram cades,
Si juſſa frangas, thura nec adoleas Jovi:
Te moneo id unum. Melius in promptu eſt nihil
Dum, quod ſequare; relege Genitoris viam,
Vel finge ſaltem. *Jon.* Utrumque ſcelus eſt. *Nac.* Excute
Hæc vana prorſus ſomnia. *Jon.* Annon tu prius,
Sic me docebas? *Nac.* Fateor: ita pueros decet
Inſtitui: at ætas illa defluxit, virum
Indue. Putaſne Cælites donis capi,
Cilicumque meſſe? Mentis obſequium petit,
Animumque memorem, quiſquis eſt cælo Deus.
Regum eſt ſtatuere, more quo libeat ſuos,
Rituque populos vivere: exterius cole
Lapides, & æra, & ſi quid inferius jubent.
Vitium in receſſu cordis, & virtus latet;
Hinc quiſque tacitus teſtis, & judex ſui eſt,
Sibi notus uni. *Jon.* Pudeat hæc mecum loqui.
Tam dira ſerpat nunquam in Abramidas lues,
Quam ſudit Erebus. Tuque ni ſummo bono
Carere cupias, in viam greſſus refer:
Erraſſe pigeat. *Nac.* Nempe veſanus putem, (a)
Poſt funus, omni fuero cum ſenſu carens,
Nulluſque; lætis tunc fore, ut rebus fruar.
Jon. Collapſa ſolum corporis moles ruit,
Compage rupta: melior at noſtri manet
Cognata cælo pars. Ut hanc flexit ſui
Libera poteſtas, in bonum, aut malum, feret
Peritura nunquam præmia, aut pœnas. *Nac.* Sed hæc
Futura, ſollers turba ſapientum negat.
Res nanque repetit quælibet priſcum nihil,
Unde habuit ortum. *Jon.* Timeo, ne aliquid ex tuo
Sermone vitii contraham. O dirum caput!

Vel

(a) *Ironice.*

Vel tunc timendum, cum nihil timui: hanc dies
Non una labem peperit, impietas quoque
Crescit gradatim; clausa sed patria in domo
Ignava jacuit: prima nunc vix se obtulit
Occasio, vim omnem exerens, redimit moras,
Gravius nocendo. Concolor serpens jacet
Sic inter herbas, quem fere oblitum sui
Credas; nocendi cum tamen primus patet
Aditus, doloso dente non cautum pedem
Sauciat, & atro vulneri aspergit diu
Collectum in ore virus. *Nac.* Ut par est, regens
Juvenilis animi fræna, tibimet, dum vacat,
Consule, quod iterum moneo. *Jon.* Consului satis.
Nac. Regem timere disce. *Jon.* Tu Numen time,
Quo nil timeri gravius irato potest.
Nac. Deus ipse Reges statuit, illorum negans
Parere jussis, peccat obsistens Deo.
Jon. Si prava jubeant, non Deo obsistit, sequi
Qui jussa renuit. *Nac.* Renuit at frustra: scelus
Totum est jubentis. Militem an culpæ arguas,
Aliena jussus regna si spoliet? Ratis
Si quassa scopulis pereat, id vitio dabis
Clavum tenenti, an remigi? *Jon.* Incassum studes
Me capere verbis. Regibus Numen dedit
Jus imperandi recta: si vero imperent
Adversa; populos obsequi jussis vetat.
Nac. An recta sit lex, an secus, reputet ferens:
Parere nostrum est. *Jon.* Sed magis Deo. *Nac.* Puer
Qui pauca didicit, quidquid ignorat, procax
Contemnit. Ultra sapere si pergas; nihil
Te scire disces. *Jon.* Luce mens retegit sua,
Quæ recta sunt, quæ prava. *Nac.* Vel Genitor caret
Hac luce; quippe quem patens aliis, latet
Imago honesti, vel gravis senio necem
Nunc timet, eumque non pudet priscum decus
Fœdare turpi labe. Sed quisnam putet
Desipere providum Ducem, aut subigi metu
Qui jacula toties inter, & strages Virûm
Intrepidus hæsit? Mente Vir præstans videt,
Pronum in ruinam petere Judææ bonum,
Ut arte simulet; donec armatæ instrui
Queant phalanges. Ergo quam ostendit viam,
Cur non capessis? Quid mori frustra obstinas?
Te per ego, quos curæ tui impendi vigil,
Dulces labores, oro, per patris vicem,

Sup-

Supplere licuit quam diu, per ſiquid eſt
Antiqui amoris, diſce conſiliis regi,
Proſpicere tibimet diſce. *Jon.* Quæ deceant, roga.
Nac. Ingrate, vecors, pateris hos volvi irritos
Per ora fletus? *Jon.* Turba ſacrifica huc ſubit,
Jamque ſubit ipſe Gorgias. *Nac.* Tibi mors prope
Inſtat cruenta, fiere quam cogar miſer.
Jon. Inſtat triumphus, quo fruar [vici dolos:
Nunc pugna ſupereſt levior.]

SCENA III.

Gorgias, Mathathias, Jonathas, Nachor.

Gorgias Jonathæ conſtantiam fruſtra tentat: quamobrem iratus, alterutrum, nempe vel Mathathiam, vel Jonatham ſacrificare jubet; quod cum uterque recuſet, jubet Jonatham interfici. Nachor a Gorgia obtinet, ut nomine utriuſque ſacrificet. Sed Mathathias Deo afflatus ipſum ſacrificantem diſtricto gladio aggreditur.

Gorg. Aſtrorum Sator, (*a*)
Terræque, vultu placido, ut excipias preces,
Et vota petimus. Populus en aſtat frequens,
Præbetque lætus dona. Tu major gradu, (*b*)
Ævoque, honorem debitum, ut par eſt, Iovi
Perſolve primus: victima ante aram cadat,
Divitis acerræ dona vel crepitent focis
Iniecta ſacris *Mat.* Quam dedi, implebo fidem;
Hac lege tamen, ut cujus ob cauſam, parens
Litare cogor, primus hic Jovi litet (*c*):
Gorg. Petit ordo rerum, præat exemplo, ut parens,
Nati ſequantur. *Mat.* Ordo ſed melior petit
Natum præire, me ſequi. *Gorg.* Ergo age tu prior
Accede ad aram Jonatha, accedat comes
Tibi fidus Altor. *Jon.* Mene marmoreum Deum,
Brutumque lapidem colere? *Gorg.* Quem lapis hic refert,
Cultum meretur. *Jon.* Nempe qui capreæ ubere
Infantulus pependit, & latitans ſpecu,
Circumque pulſato ære Corybantum manu,
Avidam cruoris Patris eluſit famem:
Qui ſibi Sororem conjugem duxit, dolos
Et qui pudendos ſtrueret ut vetitis toris,

Amo-

(a) *Vultu ad Simulacrum Jovis converſo, has fundit preces.* (b) *Alloquitur Mathathiam.*
(c) *Digito indicat Jonatham.*

Amore captus, terga, fœdosque induit
Rictus ferarum. *Nac.* Comprime audaces sonos.
Jon. Cur vera sileam? *Mat.* Puer hic est, Nachor, sui (*a*)
Degener, aviti decoris, & famæ immemor,
Patrique misere flendus? *Nac.* Ut se res habet,
Dixi futuram. (*b*) Te palam admissi pudet,
Tegitque crimen. *Jon.* Exprobras quodnam mihi
Crimen pudendum? *Gorg.* Regis an culpa vacat,
Violare jussa? *Jon.* Non mihi obtrudat Deos
Falsos, profanos; cætera ad nutum geram.
Gorg. Damno tuopte sapere condisces brevi.
Jon. A vero aberras, forte si damnum putas
Quod patiar a te funus: extinctum manet
Me nanque vita melior, affluens bonis.
An ille doleat, puppe qui pelagum secans,
Longeque distans, optat ad patrios lares,
Patrisque cari ad oscula, ut primum licet,
Remeare; citior aura si pellat ratem,
Quò vota præeunt? *Gorg.* Certa quid perdis bona,
Ignota quærens? Stulta si in melius velis
Tua hæc referre consilia; tyrio madens
Velabit ostro te chlamys, centum atriis
In se recurrens, dives excipiet domus,
Instructa luxu mensa regali dapes
Offeret, & aures dulce mulcebit melos,
Jon. Hæc vana sperno. In rebus humanis modum
Servare certum, scire quas animus petat,
Quas fugiat, iram frangere, effrænes jugo
Subiicere sensus, nec sinere, ut ardens trahat
Cupido mentem, vera sunt hominis bona
Cupienda solum, quæque si cupias; habes.
Mat. Hic sermo longe superat assuetum modum, (*c*)
Nihilque mortale sonat: æthereus calor
Se Pueri in animum fudit. Exultans salit
Mihi pectus, omnemque obruit lenis quies
Sensum doloris: patrius abscessit metus.
Nac. Sileret utinam! concitam, temere loquens
Lacessit iram Gorgiæ. *Mat.* Sed non Dei.
Gorg Audire vana hæc jurgia, haud ultra vacat.
Hoc jubeo: ad aram Natus, aut Genitor litet.
Jon. Iordanis ante referet in geminum caput
Undas retrogradas, quam colam falsos Deos,

Cul-

(a) *Ironice.* (b) *Act.4. Scen.2.*

(c) *Miratur Jonathæ sapientiam, eamque è celo immissam merito putat.*

Cultu sacrilego, atque impio. *Gorg.* Nati vices
Tu Genitor, imple. *Mat.* Nulla præsto est, quam litem,
Victima Tonante digna. *Gorg.* Non desunt oves,
Niveoque fœtus vellere, & pressi jugo
Nondum juvenci. *Mat.* Vile, & abiectum pecus
Mactare nolo: sacra sed Mosis putans,
Jura abdicasse, Mysta, quem colimus Dei
Libare Nati sanguinem ultrici manu
Statueram. At illi hoc crimen affinxit dolo,
Nachor. *Jon.* Tibique Gorgias, ambo pari
Consilio, ut alter alterum exemplo suo,
Parem in ruinam traheret. *Gorg.* Ultra quid moras
Trahimus inertes? Strictus in prolem illico
Rotetur ensis. Adsit huic Genitor neci:
Mors una utrumque plectat. *Jon.* Egelidos petit
Ut cupida fontes cerva, cui tenerum latus
Arundo mordet: arva cum torret leo,
Ut avidus, imbres potat æstivos ager
Sitiente gleba; claudere illustri dies
Sic morte cupio. Sed tua auxilium ferat
Mihi dextra, vitæ, & mortis o Summe Arbiter.
Mat. I Nate felix: hos cape amplexus, & hos
Manibus Avorum redde, quos Abræ Sinus
Excepit olim. Gentis electæ Duces
Adire propera: ascriptus Heroum choris,
Palmas recentes præfer, & veteres novis
Cumula triumphis. *Jon.* Accipe extremum vale.
Nac. In quem parentis contuli officium, sinam
Itane perire? Perge: (*a*) nunc saltem roga,
Positoque Natum poplite advolvi jube,
Ad Gorgiæ irati pedes. *Jon.* Non tanti emo
Caduca vitæ spatia. *Mat.* Jacturam levem
Merces rependet summa. *Nac.* Itane Gnati feres
Cædem cruentam? Pronus in te concidet
Cervice secta truncus, ac scissum caput
Vocare perget murmure incerto Patrem.
Et dubius hæres? Amor ubi, & pietas? ubi
Sobolem tuendi cura, quam tigres habent?
Satis hæc foret. Sed, barbare, hac etiam cares.
Gorg. Frustra est morari. Debitas pœnas luat (*b*)
Nac. Gressum coerce: quo ruis? Si quid bene
De te mereri licuit, & si quid dein ....

Pue-

(a) *Mathathiam alloquitur.*

(b) *Properat ad altare, ut Jonathæ mactationem imperet: Properantem Nachor detinet.*

Gorg. Pueri quod aras imbuit non dum cruor, (rum,
Idne reputas, Nachor, parum? *Nac.* Haud equidem pa-
Nimium esse fateor, lance si recta æstimo
Momenra culpæ, quam tamen multum elevat
Puerilis ætas. *Gorg.* Auget at multum Patris
Vafritia mendax. *Nac.* Æquitas sed me tua
Juris rigorem temperans in spem erigit.
Gorg. Scelus ut inultum non sinam, aliorum salus
Tuenda poscit *Nac.* Alia si pateat via,
Qua culpa lateat, nec sit exemplo nocens.
Quidni capessas? *Gorg.* Loquere, quid rerum paras?
Nac. Unus ego sacras nomine amborum preces,
Ac thura fundam. *Gorg.* [Exempla multo plus movent,
Quam verba] Mecum aram subi: hanc etiam viam
Tentare præstat. (*a*) *Mat.* Patiar hanc turpem notam
Ambobus allini? At quis in venis fluit
Insuetus ardor? Rapior .. invasit meum
Sacer æstus animum: cogor ulcisci nefas.
Nac. Lemniaca crispas tela qui forti manu, (*b*)
Qui terram, & astra, qui mare imperio regis
Huc flecte placidus ora, Divorum Parens,
Hominumque. Per me cæsa procumbat licet
Victima, sabæi thuris & fumus sacras
Obnubat aras; cordis alieni tamen
In hisce donis accipe obsequia: hæc tibi
Nam Jonathas: hæc Genitor exhibent .. *Mat.* Sile
Mendax, sacrilege. Nonne terrifico, Deum
E nube, vultu, tela torquentem vides?
An video solus? Hoc Duce in medium ruam: (*c*)
Removete gressus impii.

SCENA IV.

Mathathias, Simon, Judas, Jonathas.

Judas, & Simon e Silvæ latebris opportune cum selectis Viris accurrentes, sacrificulos, & paucos Gorgiæ milites strenue aggrediuntur, & in fugam versos insectantur. Deindæ regressi Jovis simulacrũ, aramque evertunt. Demũ Mathathias cum filiis in abrupta montium juga se se recipere decernit.

Jud. HInc celeri fuga
Abite inertes. *Sim.* Ipsa vos sternit minax
Dextera Tonantis .. (*d*) *Jon.* Bellico, incensum flagrat
Ar-

(a) *Accedunt ad altare.* (b) *Preces ad Jovis aram.*
(c) *Districto gladio irruit in Sacricolas.*
(d) *Conserunt manus, & fugientes insectantur.*

Ardore pectus .. Conferere mihi manus (*a*)
Liceret utinam ! . Socius aut palmæ forem,
Aut caderem honora morte .. Sed prohibent & hæc
Vincula, & inermis dextera ... En Genitor redit ....
Lætoque, Fratres, agmine invictum Senem
Læti fequuntur .. *Mat.* Agite : fimulacrum Jovis,
Tripodas, & aram vertite : hæc victor mihi
Trophæa pofco. Gorgias cecidit, finum
Confoffus enfe : cecidit & Nachor pari
Vulnere. Secundet cœpta, qui primi fuit
Laboris aufpex. Bella nos pofthac manent,
Cruenta bella. *Sim.* Tela pugnantum reget
Supremus Ultor. *Jud.* Confulam hoc gladio Dei,
Patriæqne honori. *Jon.* Non ego bellorum iners
Spectator adero. *Mat.* Tu quoque, ætas cum finet,
Rues in arma. Qui tibi facrilegum fcelus
Affinxit audax, criminis pœnas dedit,
Aliafque & utinam non det, imminuet dies,
Quas nulla! Nati difcite ex lapfu Viri,
Quem clara, fupra cæteros quondam extulit
Pietas, cavendum quam fit. *Sim.* Et quifnam fibi
Exempla poft hæc fidat? *Jud.* Hæc Numen finit,
Ut ftatuat alios cafus unius, fuis
Et nemo tribuat viribus ftabili gradu
Quod ftet, tot inter lubricæ anfractus viæ,
Stygiafque fraudes. *Jon.* Altor infelix, quis id
De te putaffet? *Mat.* Tutus eft nemo fatis,
Nifi qui timere didicit, alieno & fapit
Doctus periclo. Repetere at nunc eft opus
Urbi imminentis invium montis jugum,
Noftræ cohortes Gentis, ingenium loci
Ubi fat tuetur. Agmen ibi cogam, Duces
Et medius inter digeram belli modum.
Tu dexter adfis, Patriæ oppreffæ falus,
Regni levamen unicum, Ifacidum Parens,
Tutorque, certo, fiquod in nobis fitum eft,
Spondere liceat, noftra bellando manus
Vel fyria franget vincla & Abrahami fatum
De ftirpe populum ad priftinum tollet decus,
Vel Solyma ab hofte everfa nos omnes premet.

F I N I S.

INDEX

(a) *Jonathas excurrit huc, illuc ut pugnæ exitum afpiciat, & verbis, ut eorum eft, qui cupide aliquid profpectant, longiufculas moras interferit.*

INDEX
RERUM, ET SENTENTIARUM.

A

B

Bo-


De-

M

T

V

F I N I S.



Errata notabiliora.		*Sic corrige.*
Pag. 14	Qunam	Quam
32	Snpplicia	Supplicia.
43	Cuſpidi adhærens	Cuſpidi hærens me
54	Juvente	Juventæ
66	Hahah	Nac.
88	Fcelſtum	Sceleſtum
221	An fama perhibet	An fama perhibet?
121	Enventura	Eventura
123	Fopor	Sopor
125	Ccervix	Cervix
142	Snuperum	Superûm
162	Quo accaſionc.	Qua occaſione
199	loqu.	Loqui
224	Tè circumagens	Te circum agens

seq. ff. de pact.

Jam videndu
reis stipulandi
noceat, puta si
iterum distingu
reos & simplic
alteri ita non
ea saltem part
quam ille toto

tazioni
Biscioni
moso R
ro Rom
Satira i
Metast
mento l

... seq. contra Car. Molinæum ... de solut. Quid ergo respondebi- ... de duob. reis. Putamus eam com- ... de duobus reis, qui in rem com- ... mutuo acceperunt; dicitur enim ... pecunia communiter mutua ac- ... casu uno solidum solvente, aut actio ... fuerint, aut communi dividun- ... rum competat. arg. l. 2. pr. ff. com. ... sit. 31. ff. pro soc. add. Perez. ad ... reis. n. 10. & seq. Gomez. 2. var. ... plane si nominatim persona correi ...

... detulerit, ... vat. aut jusjurandum detulerit, ... de jurejur. quia hæc omnia vicem solutionis obti- nent. De jurejurando enim id quoque diserte tra- ditum in l. jusjurandum 27. ff. eod. tit.

CAPUT VII.

Si unius debiti plura sint apud creditorem chirographa an unius redditione censeatur obligatio remissa?

... Chirographum reddide-

ell' Infetti, ovv
delle Divine pe
ciò che riguarda
Osservazioni del S

dal Francese con
in 8. gr. Tom.

ci S. L. F. all'Ar
in 8. Lisbona 175
arie Osservazion

Firenze 1748. 4.
d un Pastore Arca
sa 1752. Queste do
ne tante Dissertazio
A. Celeb. P. Pi
Giuseppe O
i 121

ecchia, in 8. Genov

Regola di S. Franc
gna 1764.
Morbi Historia ou
ta Responsione D. L

ti nella Traduzior
del Libro
Soc. Jesu, ed in
menti rari, ed
seconda con agg

Pa-